# De antiquitate Cantabrigienſis Academiæ Libri duo.

*In quorum ſecundo de Oxonienſis quoq; Gymnaſij antiquitate diſſeritur, & Cantabrigienſe longè eo antiquius eſſe definitur.*

Londinenſi Authore.

¶ Adiunximus aſſertionem antiquitatis Oxonienſis Academiæ, ab Oxonienſi quodam annis iam elapſis duobus ad Reginam conſcriptam, in qua docere conatur, Oxonienſe Gymnaſium Cantabrigienſi antiquius eſſe.
Vt ex collatione facilè intelligas, vtri ſit antiquior.

EXCVSVM LONDINI,
Anno Domini. 1568.
Menſe Auguſto.

*Per Henricum Bynneman.*


BIBLIOTHECA · BODLEIANA
DOMINUS ILLUMINATIO MEA

# De antiquitate Cantabrigiensis Academiæ,

## Liber primus.



Graues controuersia orta est inter Oxoniensem quendam, & Cantabrigiensem oratorem, de antiquitate vtriusq; Academiæ, grauior futura si lis non componatur. Nam alter cum se Masterum putet, alter se Leonem futurum dicat, & dente vngueq; superbus confidat, metus est ne alter rem fuste transigat, si intractabilis esse alter pergat: alter oculos aut vngue eruat, aut dente crudeliter alteri laceret, ni ille omnino conticescat. At cum Academiæ omnium virtutum matres sunt, omnis pietatis & officij alumnæ, lumina deniq; atq; oculi Regum quibus videant, & capita quibus sapiant & intelligant, Reipublicæ grauis noxa futura esset, si vim alterutra pateretur. Causa tantæ con-

controuersiæ hæc est. Cantabrigiensis orator cum ad Elizabetham serenissimam Anglorum Reginam, Cantabrigiense Gymnasium nonis Augusti anno verbi incarnati 1564. inuisentem orationem habuit, inter alia ex occasione Cantabrigiensem Academiam fuisse antiquam, & Oxoniensi multò antiquiorem paucis pronunciauit. Quod vt officij eius fuerat in hoc munere, ita bona fide & integra, sine inuidia & affectione ab eo dictum existimo, quo Principem doceret, non nuper nata, sed longè ante posita: non humilia & obscura, sed excelsa & illustria initia Gymnasium habuisse. Hinc tamen offensus Oxoniensis quidã, qui an albus an ater sit nescio, vehementer excanduit, & contra institutis commentarijs (quos assertionem antiquitatis Oxoniensis Academiæ vocat) Oxoniense Gymnasium Cantabrigiensi longè antiquius esse magna contentione astruit. Sic tamen hanc fabulam sub persona agit, vt nullius nomen famamq; denigrarit, quod est laudabile, nisi seorsum sensus inuolucrum viua voce

na voce forsan explicuerit, aut notæ marginali imprudens id prodiderit, aut tacitis coniecturis id subindicauerit. In eis commentarijs etiam in Antiquariũ quoque nescio quem (sic enim ille nominat) immoderatius insultat, & idem illum cum Oratore sensisse, & cum eo veluti dextrã iunxisse, ex epistola eius deprehenderit. Eos commentarios post annos duos quàm hæc gesta Cantabrigiæ sunt, per interpositum nuntium ex nobilitate scriptos exhibuit eidem Principi angustissimæ Elizabethæ, cum Maiestas eius anno 1566 pridie calend. Septembris Oxonium venerat. Ita dum ille aiat, iste neget, nec alter alteri lubenter cedit (nam si alter proreta, alter gubernator esse vult) vterquè suam sententiam præstare desyderat: sic vt in iudicandis componendisq; istis litibus, Aristophanis Prodico, aut τενεδίῳ vt aiunt Cωνηγόρῳ opus esset. Quæ res cum multos vtriusque Academiæ viros suspensos teneat, atquè in diuersa studia cum suspitione contentionis multos impellat, in rem vtriusquè fore existimaui,

Hortatio ad concordiam.

ſi omnis controuerſia (quã uerba potiusq; res faciũt) præoccupatione cauſſæ tolleretur, ne quãdo res ad ſaga veniret. Quãto enim cõmodius fuerit ſemotis cõtentionibus atq; motibus (quod quiſq; poſſit) trãquilla vti libertate, in ſuũ quenq; vſũ ſtudiũ conferre, ſimulq; & citra faſtum diſcere quod neſcias, et citra inuidiã docere quod ſcias: ſiue vt Græci dicũt, μανθάνειν ἀνεπαισχύντως, καὶ διδάσκειν ἀνεπιφθόνως. Etenim vt ex iniurijs mutua talione reciprocantibus ingens bellum ſæpè oritur, ita conuicijs vltro citroq; relatis periculoſum incẽdium non raro naſcitur. Nam fumo flãma ſolet eſſe proxima, & ſæpè vſu venit vt irritatæ neceſſitatis acerrimi ſunt cõflictus, odiumq; ſæpè pluſq; agreſtè ſequitur. Atqui vt parũ prudẽtis eſt iniuriã iniuria penſare (nã ignis igne non extinguitur) ita parum generoſi pectoris eſt animi dolorẽ fœminarũ exẽplo cõuicijs vlciſci, per temeritatem diſcordias alere, & incendiũ oleo reſtinguere. Cæterũ ad has diſcordias rũpẽdas atq; finiẽdas, ſanctãq; pacẽ componendam atq; ſtatuendam, cũ

neq;

neq; Oxoniensis Cantabrigiensē, nec Cantabrigiensis Oxoniensē fert in controuersia iudicē, qp pro sua cuiusq; affectione rē tractatam iri vterq; iudicat, ex libidine magis q̄ ex vero celebratā existimat, ris suasit & commiseratio iussit, vt ego homo Londinensis, medio loco inter vtriūq; positus, & eodem animo in vtrūq; affectus, cui lōga triginta annorū absentia à gymnasijs (nisi subinde inuisendi gratia charitatis studio) omnem affectū iuuenilē ad Gymnasia sustulit, hanc controuersiā vt inutilē, imo vero rem damnosam, tanquā communis amicus definirem ac componerem. Etenim sic in animū induxi meum, boni viri officiū atq; partes esse omnē litis ansam intercipere, dulcem pacem componere, atq; alienas simultates vt suas nec excitādas aut alēdas esse existimare, et opportunitate data aut extinguendas aut mitigandas esse, idq; minimo motu si maximas, nullo tumultu si periculosas sentiat. Quod ideo me facturum bona vtriusq; venia spero, quia bono in vtramque studio sum facturus, vt prosim si possim,

lædam neminem, nulli vel leuissimam labem aspergam. Omnem reuerentiã Oxonienſi Academiæ tribuam, contra eam cauſam non ſuſcipiam, tantum Oxonienſem quod de antiquitate Cantabrigienſi petit docebo, et ſi quando erret, reuocabo, ſi maledixerit, amanter admonebo: idq; ſub perſona quoquè ludens ne quem offendam, quando libuit Oxonienſi viro nube contegi, ſub vmbra volitare, nec clara luce conſpici. Quod certè homini vitio non verto (vt dixi) ſed humanitati eius & candori tribuo, & inter virtutes colloco, qui etſi acriius quenquam notare præter cauſam voluerit, tamen veterum comicorum more nominatim perſtringere abſtinuerit, & Lucianum referre nõ malè diſtulerit. Honeſtum enim nomen, & anima et vita eſſe debet. Niſi ſi fortè lucem refugit pictorum conſilio: quorũ quædam picturæ magis placebũt ſi propius ſis, quædam ſi longius abſis: Hæc amat obſcurum, volet hæc ſub luce videri, Iudicis argutum quod non formidat acumen. Vtcunquè eſt, eandem humanitatem expecturus

turus est, qua est ipse vsus. Ea tamẽ lege, vt qui causa ceciderit, aut nihil post hac moueat, aut ardentis iuuentutis facibus contentus se exponat, experturus contentionis commoda, si mihi rectè consulenti minus fidem adhibet, & contentionis cupidior quam veritatis fuerit. Mihi interim nec contendendum, nec nisi sedato scribendi genere vtendum censui, q̃p faces & tragœdiæ in istis causis & personis, in isto tempore & ætate minus certè deceant. Quod si forsan acrior tibi quandoquè videbor, hoc admonentis potius q̃ obiurgantis, amantis q̃ contendentis esse scito. Quid enim attinet de Parni scaphula, aut lana caprina iuueniliter digladiari, ac lites & discordias tam acriter, tamq̃ acerbè, quàm si de aris ac focis res esset, consectari, incandescere acrius, insultare vehementius, inuehi amarulẽtius, lædere virulẽtius, deniq̃ in cõmentariorũ sinum omnes animi motus insulcire, omnes pectoris æstus effundere. Quid profuerit si hæc illa antiquior fuerit Academia, modo hæc illi virtute par sit? Equi-

dem sanè manum non verterim, vtra antiquitate anteuerterit. Puerorum est de locorum præstantia & dignitate contendere, ex minutis pluuijs imbres facere, & inanium verborum contentione & dissidio animos vulnerare. Quod vt tenuis labor est, sic tenuis certè gloria est. Dulce bellũ inexpertis, expertus metuit.

Vulneribus miles discit habere metum:
Atque, etiam
tranquillas naufragus horret aquas.

Scio anum subsultantem plurimum posse excitare pulueris. Sed quid attinet frustra niti, et nihil aliud quam odium quærere, quod sanè extremæ dementiæ esse Sallustius censuit. Proinde, si vel mediocriter satisfactum tibi fuerit (ô Oxoniensis) quorsum pertinebit nouas Tragœdias excitare, bonas horas dissidijs puerilibus malè collocare, quæ in necessarijs studijs debeant consumi, & ætatem tuam (quam audio iam confectam senio) tanq̃ si velles nuces repetere, nugis cruciare.

Ridendus senex pueri qui suscipit artes,
Tanq̃ si in cunas nunc remeare velit.

Imo

Imo verò, ludere par impar, equitare in arundine longa, si quẽ delectat barbatũ, cmẽtia versat: vt Flaccus ait.

Etenim nihil indecentius quàm authoritatem habere senum, vitia verò puerorũ: & septennis cum sis, non dum dentes ædere. Id tamen leuius multò est, quam in Leonem transmutari. Etenim à sene in puerum naturalior et decentior transmutatio est (siquidem bis pueri senes iuxta prouerbium) ab homine verò in bestiam, præter omnem naturam & decorum est. Verum si ab homine in bestiam omnino velis transformari, quod non consulo mi Oxon. per me licebit, non tamen video quo ista transformatio, nec quid opus hic sit aut aspero Leone, aut immiti Tigride, aut irritabili Pardo. Etenim candida pax homines, trux decet ira feras. Neq; certè terrorũ cõmemoratio à veritatis authoritate deterrere potest: vt nec pulicis morsus iusta caussa cur Leonẽ invoces. Id Leo cogitet, nullã tã crudelẽ bestiam esse, quæ non possit castigari: & repugnando, q̃ nihil aliud tandẽ consequetur q̃ aut fustẽ,

aut mi-

aut militũ insignia cicatrices, aut q̃ pueri in faba, vt dici solet. καὶ γὰρ βαλὼν φησὶ ξεσθαι ὄιεις vt inquit Homerus. Etenim si ferias euasurũ te putas? Hæc eo dico, q̃ eũ quẽ prima libri sui editione ioco lusum agisse putabã, iam serio rem tractare ex secunda aduertã, cum & calculos reduxerit, & veteri suæ ollæ nouas ansas affixerit, calamo dentem postremò addiderit, atquè ad arma se accinxerit. Existimabã quoq̃ eum cõmentarios adhuc rudes, & quasi à follibus etiamnum calentes, secunda cura voluisse duntaxat perpolire, nec de bello quicquam cogitare. Etenim in hoc genere vt nihil idem potest esse & festinatum & perpolitum, ita nihil ad laudem diligentiæ, simul & gratiã celeritatis sine secunda manu potest reportare. Nam neque chorda sonũ reddit quem vult manus semper, nec semper feriet quæcunque minabitur arcus. Quasdam enim maculas incuria fudit: quasdã humana natura parum cauit. Fingebam quoquè per iocum lusos, & non ad contentionem elaboratos. Verum si ad conten-

tiones expeditior esse omnino volet Oxoniensis præter amicorum suorum voluntatem & consilium, sic expeditus esto, vt sunt pueri in supplicationibus Louanien-sibus, quine decidant, alligantur equis. Certe quod ad me attinet, ne summa quidem manu hanc controuersiam vt inutilem attigissem, sed ad iuuentutis ingenia excitanda, stylumque exercendum relegaßem, nisi ob eas quas ante dixi pacis & concordiæ causas, nisi Oxoniensi seni in eo quod petit de consensu scriptorum aliqua ex parte satisfaciam, ac iuuenum concussionibus ac palestris senectæ ætati satis iniquis, & plus iusto temerarijs hominem senem liberem. Patior enim ego facilè suum cuique pulchrum esse, & cum mihi nec seritur nec metitur, πολλὰ χαιρέτω. Si tamen cuiusquàm ingenium vsque adeo tetricum sit, atque ab omnibus gratijs alienum, tanq̃ si ex Trophonij antro veniret, aut ex saxis aut quercubus natus esset, vt nec verum ferat, nec amicam & festiuam orationem honesta æmulatione, si qua fuerat,

rat, nulloque incommodo enunciatam ſu-
ſtineat, quid facias? Ego verò ne longi-
ori morer proœmio, dicamquè numero
quæ ſentio ſingula, primo loco Antiquarij
epiſtolam proferam, vt apes aduerſas, vt ai-
iunt, primum abigam: tùm Oratoris ver-
ba adducam: tertio Oxonienſem hiſto-
riolam aſcribam: ad poſtremum, cùm
Oxonienſis argumentis illa omnia com-
ponam: obiterq; pro re nata veri conſti-
tuendi cauſſa meam ſententiam intertex-
am, vt ſic omnem controuerſiam, ſi poſſit
fieri, reſcindam. Incipiam ab ijs quæ ad
Cantabrigienſem antiquitatem faciunt:
tùm ad ea tranſibo, quæ ad Oxonienſem
pertinent.

Antiquarij epiſtola.

Cœpit Cantabrigia (inquit Antiquarius in epiſtola ad Oratorem) anno mundi 4321. ex nigro codice vniuerſitatis, in quo multa habes de origine Cantabrigienſis Academiæ. Ex alijs tamen libris vetuſtis quos vidi, anno mundi 1829. & anno 3377. & 4095. & 3581 cæpiſſe intellexi. Quam poſtremam

ſuppu

supputationem veriorem existimo, quòd circa ea tempora Gurgũtius fuit, quo regnante cæpit Cantabrigia omniũ consensu. Ex his (etsi scriptores varient) scire tamen licet antiquam esse Academiã, quod etiam multis argumentis per controuersias comprobare possem. Ea olim Grantecestria dicebatur, longè lateq; diffusa ad Grantecestriam pagum, & agrum domorum vltra Castrum, hamaxeo coquorum farcimine nostra memoria celebrem. Eius alium authorem quam Cantabrum Hispanum non reperio, præterquam apud Polydorum Vergilium, qui eius originem ad Sigebertum recentem authorem refert: quod mihi non videtur verisimile multis de caußis. Cantabrum authorem agnoscere Academiam, eius epistola ad Philippum Hispaniæ Regem quarto nonas Augusti 1554. scripta, docet. Hæc quod satisfacere poßũt petitioni tuæ, & diligentiam tuam in ea re vellem excitare, plura non scribo.

Vale.

Hacte-

*Hactenus Antiquarij epistola, ad amicum scripta familiariter, nihil suspicati (credo) in lucem eam aliquando prodituram, aut eius rationem sese redditurum, etiam si casus vellet aliquando ut excideret. Ex hac tamen fortuna facile videas, quanta res sit veritas, quàm constans atquè simplex. Sequuntur Oratoris verba ad Reginam, ex Oxonienſis commentarijs ad verbum desumpta. Supereſt adhuc (excellentissima princeps) cum posita sunt breuiter multorum collegiorum incunabula, ipsa Academia nostra quãdo esse cæperit, paucis explicetur. Historia nostra scriptum est, à Cantabro quodam Hispaniæ Rege, cum domestico tumultu patria eiectus, in nostrum regnum appulisset, Gurguntij temporibus fuisse extructam. Huius authores sententiæ Lelandus et vanitatis arguens et mendatij. Sigebertum regem facit Academiæ nostræ conditorem, in quo perniciosum reliquit exemplum nimis curioſe in historias inquirendi, & sibi quoq; parum consuluit. Nam si ipse tam multos non credat mi-*

Oratoris verba

dat mirabiliter in hoc conſpirãtibus, quis paulò magis conſideratus, ei ſoli fidem eſſe putabit adhibendam? Sed ſiue ad hunc, ſiue ad illum authorem referatur, illud cõſtet inter omnes, Oxonienſi Academia noſtram multis eſſe annis antiquiorem. Nam illa ab Aluredo rege dicitur inſtituta, quem omnes ſciunt et Gvrguntio et Sigeberto ætate multò fuiſſe poſteriorem. Illud præterea ad magnam noſtram gloriam omnes vna voce teſtificantur hiſtoriæ, Oxonienſem Academiam à Cantabrigienſi doctiſſimos mutuatam eſſe, qui prima ingenuarum artium incunabula in ſuo Gymnaſio traderent. Pariſienſem etiam, quaſi Coloniam a noſtra Academia ductam, Alcuinum noſtrum Bedæ diſcipulum, à Carolo magno Gallorũ Rege magnis locupletatum beneficijs habuiſſe, qui diſcendi cupidis, quaſi ludũ quẽdam bonarum artium Lutetiæ primus aperuerit. Hæc Orator.

Subiungam Oxonienſem Hiſtoriolam, ex procuratorum libro in Aſſertionem Oxonienſis viri tranſcriptam. Con- Oxonienſis hiſtoriola.

testantibus plerisq; chronicis, multa loca per orbis climata varijs tẽporibus variarum scientiarum studijs floruisse leguntur. Omnium autem inter Latinos nunc extantium studiorum vniuersitas Oxoniensis, fundatione prior, quadã scientiarũ pluralitate generalior, in veritatis catholicæ professione firmior, ac priuilegiorum multiplicitate præstantior inuenitur, prout suæ fundationis insinuant historiæ Britãnicæ perantiquæ. Fertur enim inter bellicosos quondam Troianos, quãdo cum duce suo Bruto Insulam tunc Albion, postmodum Britanniam, ac demum dictam Angliam, triumphaliter occuparunt, quosdam Philosophos aduentantes, locum habitationis sibi cõgruæ in ipsa Insula elegisse, cui & nomẽ, videlicet Greke lade, hi Philosophi qui Græci fuerãt, vsq; in præsentem, quasi sui vestigium reliquerunt. A quo quidem loco non longè municipium Oxon noscitur esse situm, quod propter amnium, pratorum, & nemorum adiacentium amænitatem, Bellositum olim antiquitas, postmodũ Oxon, à quodã vado

vado vicino sic dictũ, populus Saxonicus nominauit, & ad locum studij prælegit.

Hucusq; Oxoniensis historiola, ante commentarios Oxoniensis viri publicata. In his omnis Oxoniensis oratio versatur, in his consumitur, dum historiolam Oxoniensem statuat, & Antiquarium cum oratore (qui à Cantabrigiensis Academiæ antiquitate stant) refellat. Sed qua ratione et authoritate, quo iuditio & grauitate iam expendamus. Et primo quæ Antiquario obijcit: quem occœcatum (vt ait) vsq; adeo non puduit prodigiosæ Μυθολογίας, vt cum veram (vt videtur) gloriã in vana antiquitatis opinione potius, q̃ in virtutis ac literarum cultu sitam esse falsò sibi persuadeat, Cantabrigiẽsem Academiã, anno à creatione mũdi. 1829. lõgè ante inhabitatã insulã, nisi à Gigantibus, cæpisse, nimis q̃ impudenter dicat. In quo acerbus tu quidẽ accusator es (mi Oxoniẽsis) et parũ æquus at q̃ moderatus. Etenim expensis verbis tuis perquã odiosis, sermoniq; tui grauitate intolerabili, & cũ epistola Antiquarij diligenter collatis,

Oxoniensis contra Antiquarium.

Confutatio Oxoniensis sententiæ.

latis, maiorem licentiam & dicacitatem deprehendimus, quàm veritatem & modestiam inuenimus : stomacho profecta verba magis, quàm ex re susceptа : criminationis nimium, argumenti nihil. Alioqui, licet grauiter, aquo tamen animo patiendum Antiquario fuit. At cum morbo animi magis quàm iuditio ista facis, cumq; nodum tantum in scirpo quaris, idq; cum acerbitate animi, quid dicamus contra Antiquarium sanè non habemus. Neq; enim iste scribit incepisse Cantabrigiensem Academiam anno mundi 1829. sed refert tantũ quæ in codicibus antiquis viderat. In quibus si quis error est, in authores litẽ intendas oportet. Se autem nõ illã, sed ex multis quas citat postremã temporũ supputationẽ magis approbare, nimirum 3588. quæ per omnia cũ recentium scriptorum (quorũ authoritate in hac controuersia tu quidem diligenter uteris) supputationibus conuenit, Stouei nempè, & Lanqueti. Isti enim scribunt Gurguntium regnasse anno à mundo condito 3588. & ante Christi aduentum

tum 375. Itaq; pone supercilium (ô Oxonienſis) mitte imperium. Cogita te ædilitatem gerere ſine populi ſuffragio. Cæterum ſi dixiſſet Antiquarius Cantabrigienſes ſcholas Gigantum temporibus fuiſſe cõditas (quod nõ dicit tamen) rem tam absurdàm non dixiſſet, quàm tu exiſtimas, nec ante litteras in Britãnia excultas. Nam ut ἀπὸ Ναννάκυ (ut aiũt) ordiamur, atq; à ſæculo aboriginũ rẽ repetamus, etiã Gigantes (ſi neſcis) noſtræ inſulæ aborigines, ſapiẽtiæ ſenſum habuiſſe, probitatem dilexiſſe, & literas excoluiſſe, Gildas rerum Britãnicarum memorabilis ſcriptor, et fidei integræ hiſtoricus (ut Gul. Nouiburgenſis ſcribit) teſtatur, & Polydorus Vergilius lib. Angl. hiſt. primò refert, quo loco ſcribit inſulam Britãniam incolas habuiſſe ſtatim poſt Noæ diluuiũ, & habitatores eius primos Dei cognitionẽ habuiſſe perfectiſſimam. Nec deeſt verbis fides. Etenim Beroſius antiquæ memoriæ ſcriptor, & in eum Annius Viterbenſis libro antiquitatũ quinto ſcribunt, pium quendam Gigantem,

A Gigantum tẽporibus literæ in Britãnia.

qui, (quoniam omnibus sua ætate sapientior fuerat) Samothes dictus est, cognomento Dis, statim post iuundationē terrarum seu Noæ diluuium insulam incoluisse, aboriginibusq; in Britannia atq; Celta imperasse, à quo insula primum Samothea dicta est, et gens primo Samothei, maximè Philosophi & Theologi, qui religionis Samothei sectatores extitere.

Samothea.

Post Samothen, Sarron quidam Britannorum Celtarumq; rex tertius fuit, qui ab infantia literas & præclaras artes adamauit, publicaq; literarum studia Britannis atq; Gallis primus instituit. Vnde Sarronidæ apud Diodorum lib. hist. rerū antiquarum sexto. Quo mortuo successit Druys (qui Beroso Dryius dicitur et peritiæ plenus, Senecæ de morte Claudij Dryus) Britanniæ rex quartus, à quo Philosophi, quos Laertius libro de vitis Philosophorum primo, σοφοὺς καὶ σεμνοθεοὺς (non σαμοθεοὺς) & Pom. Mela de situ orbis libro tertio, sapientiæ magistros vocat, Druydes (seu vt Seneca Dryudes) appellati sunt. Etsi Plinius nat. hist. lib.

Druys.

Druydes.

lib. xvj. cap. vlt. Druydes à δρῦς nominari interpretatione Græca videri posse ait, quòd sine eius fronde nulla sacra conficiebant Druydes. Hi & nomen & originẽ in Britannia primum acceperunt, ac postea Gallis nomen & scientiam impartiuerunt, communi vtriusq; Rege Druyde existente. Atq; vt initium à Druyde in Britannia habuere annis ante Christum 1013. sic & finẽ in Britannia post Christum natum habuerũt annis 179. Quin et primos musicos, teste Cæsare, Britannia peperit, quos Bardos olim dicebant, atq; adhuc Cambri dicunt, à Bardo quodam quinto Britannorum Rege, homine inuentione carminum & Musices inclyto, vt Berosus memoriæ prodidit, qui in regnum suffectus est, postquàm Druys annos regnasset duodecim. Hi Poetæ erant, et egregia facta virorum illustrium carmine ad lyras atquè organa celebrabant, canendiquè arte excellentes erant, vt Diodorus Siculus Libro sexto Historiæ Rerum antiquarum memorat. Bardi.

Albion. *Albion quoq; primus in Britannia docuisse creditur astrorum scientiã. Sed de his plura Diodorus, Strabo, Lucanus, atq; Nonnius Marcellus. Qualis autem Druydum disciplina fuit, et quemadmodum ex Britannia in Galliam promanarit, copiose docet Iulius Cæsar commentariorum suorum de bello gallico libro. vj. quo minus mihi Gigantum disciplinas obiter commemoranti, atq; ad institutum festinanti, his immorandum longius sit.*

Gigantes. *Verum nomen fortasse Giganteum incognitum & contemptum, atq; vulgo etiam fabulosum, facit vt res Oxonienſi minus approbetur. Equidem non alios fuisse Gigantes existimo, quàm procerum & incorruptæ magnitudinis naturalis primi sæculi hominum genus (quod etiam Berosus videtur approbare, cum Noam vnũ inter gigantes fuisse tradit) eosq; non à monstruosa (vt stultũ vulgus putat) magnitudine appellatos, sed à solo in quo nati sunt denominantes. Gigantes enim seu γηγενεῖς, terræ filios, seu aborigines denotat, seu, vt Cæsar vocat, indigenas. Quod si v-*

si vnus aliquis vt Golias, Polyphemus, & Gogmagogus (quem duodecim cubitorũ fuisse, & Goemagot vero nomine appellatum cap. ix. lib. j. de gestis Britonũ Galfridus memorat) cæteris maior videbatur, id euenire, vt in nostro genere, tum solebat, cum luxuriãs parentum natura, huberiorem solito materiei copiam, et formæ maiorem vim submini strasset. Nam & inter gigantes suæ erant & diuersæ magnitudines, vt et hodie inter nostri tẽporis homines, si paruos propter degenerẽ longi temporis sobolem cum magnis componerem. Neq; pudeat nos quod actum aut natum prius est referre, nec gigantes aborigines habuisse, cũ & præclara gens Germanica suo Thuiscone, Italica suo Gomero, & Hispanica suo tubale gigantibus & aboriginibus glorientur. Itaq; nihil hic est quamobrem offendatur Oxniensis.

De vera autem gloria in vana antiquitatis opinione potius quam in virtutis et literarum cultu ab Antiquario posita, certè merito posset, si notum non fuisset vniuerso

niuerſo populo, et à Polydoro Vergilio, homine Italo, et in neutram partem inclinato confeſſum, Cantabrigienſem Academiam cum Oxoniẽſi et potuiſſe ſemper, et nunc quoq; poſſe de virtutis, literarum, ingeniorum, fœtuſq; ſui gloria certare, non dicam ſuperare: multo verò magis, ſi exemplis rem explicare, et perſonarum ſuperiorum et preſentium temporum ſplendore et nobilitate illuſtrare voluiſſem. Etenim vt à fœtus numero ordiamur, Ioãnes Maior homo Scotus, et recens Hiſtoricus ſcribit, ætate ſua annis abhinc plus minus quinquaginta retroactis, extitiſſe Cantabrigiæ quatuor aut quinque millia Scholaſticorum: quo tempore plures Oxonij non fuiſſe, idem Maior author eſt: quamuis innumerum ab ipſo initio Oxonienſis profiteatur. Imo verò, quo propius ad initia Oxonienſis ſcholæ accedes, eo pauciores inuenies. Anno enim verbi incarnati 1209. authoribus Radolpho Nigro, & Mattheo Pariſio, tria tantum millia erant. Eorum verba hæc ſunt.

De vtriuſque Academiæ numero.

Clericus

*Clericus quidam apud Oxoniam mulierem quandam casu interfecit, & per fugam sibi consuluit. Undè Præfectus vrbis et alij quærebant homicidam in hospitio suo, quod cum tribus socijs suis clericis locauerat : cæperuntq; tres illos clericos homicidij penitus nescios, et in carcerem retruserunt , & iubente Rege, propter interdictum exosos extra villam suspenderunt. Unde recesserunt ab Oxonia ad tria millia clericorum tàm magistri quàm discipuli, ita quòd nec vnus ex omni Uniuersitate remansit. Quorum quidam apud Cantabrigiam, quidã verò apud Radyngum, quidam quoquè apud Maidenestane liberalibus artibus vacãtes, villam Oxoniam vacuam reliquerunt.*

*Hactenus Parisius atquè Niger Meminit huius historiæ & Polydorus Vergilius lib. hist. suæ Angl. xv. sed imperfectius . Sed de numero vtriusq; Academiæ, seorsum alio in loco . De literis autem si experimentum cupis, Historicos excute omnes, fastos omnes & tempora euoluito*

De vtriusque Academiæ literis.

euoluito mundi, & ſuperiores aut ſaltem pares ſemper inuenies Cantabrigienſes: quod & ante diximus, & mox ex Polydoro oſtendemus. At noſtra ætate, & recenti adhuc memoria cognitum eſt & illud, anno Dominicæ incarnationis 1532. Procancellario Simone Heynes, procuratoribus Gul. Caco et Ioanne Tayler, Oxonio Cantabrigiam veniſſe Throgmertonum quendã, ſingularis doctrinæ & humanitatis virum, altero pari doctrina viro, & Oxonienſi iuriſconſulto aſſociatum, qui vna atq; altera queſtione, in quibus multum verſati ſunt, propoſita, vniuerſis ſe artium et iuris vtriuſq; ſcholis Cantabrigiæ oppoſuerant. Verum in prima congreſſione atq; queſtione, qua defendebat ius ciuile fuiſſe medicina præſtantius, ſic afflictus Throgmertonus eſt ab aduerſarijs Ioanne Redmanno et Nicolao Ridleio artium magiſtris, Ioanne Rokeſby & Eliſæo Pryce, Hoſpitij ſancti Nicolai iuris Baccalaureis, vt ſecundus ille Throgmertoni ſocius imparem ſe exiſtimans in tanta Cantabrigienſum doctrina,

Diſputatio inter Cantabrigiēſes & Oxonienſes.

strina, nec tantum belli impetum se sustinere posse ratus contra tantos hostes, cogebatur ægritudine simulata se clam subducere. Quo audaci facinore offensi Oxonienses, vtrumq; reuertentem in exilium, vt aiunt, relegarunt. Erant autem per ea tempora Oxoniæ dissidia inter medicos & iurisconsultos, de sua cuiusque facultatis præstantia, ac processus consessusq; loco & dignitate. Quid multis? Desiderius Erasmus Roter. homo Hollãdus atq; doctus, libro epistolarum secũdo, in epistola ad Bouillum, sic Græcis Latinisq; literis, sic mathematicis Theologicisq; disciplinis effloruisse Cantabrigiensem Academiam scribit, vt cum primis huius sæculi scholis certare possit. Quo certè quid in rem honoremq; Cantabrigiensem dici potest magnificentius? quid in laudem gloriamq; virtutis & excellẽtis doctrinæ Cantabrigiensis Gymnasij honoratius? maximè à tam laudato & honorato viro, tam docto et experienti sene, tam graui & ingenioso iudice. Erasmus Cantabrigiæ studuit.

Sentio tamen quàm optimè de virtute

& literis

Oxonienſis, Acad. laus.

& literis veſtræ florentis Academiæ, d
nutrice omnis humanitatis, de collegiõ
magnificentia & numero, vt & de Oxo
nienſi viro non malè, niſi in quibus nõ bẽ
nè iam ante ſenſit, & in quo commentu
præterea eſt, Antiquarium Polydor
„ ſubiraſci, quòd Cantabrigienſis Gymnaſij
„ originem ad Sigebertum recentem autho-
„ rem retulerit, nihilq; antiquum illi vide-
„ ri, niſi quod multis annis Chriſti natiui-
tatem anteceſſerit. Sed hoc quoniã An-
tiquarij cauſſam (quæ non ex perſonis ſed
ex genere queſtionis pendet) non oppug-
nant ſed perſonam, nec authoris ſui defen
ſioni proſunt ſed officiunt, noſtro iudicio
cõmenta ſunt nõ benè ſentiẽtis animi (q
pace tua dixerim) ad calũniã potius ex-
cogitata, q̃ ad iuſtæ cauſſæ defenſionem
cõcepta. Nam quid bilis, quidue ſtoma-
chi in hiſce antiquarij verbis eſſe poſſit, e-
„ quidem non video. Eius alium authorem
„ quàm Cantabrum Hiſpanum non repe-
„ rio, præterquàm apud Polydorum Vergi-
„ lium, qui eius originem ad Sigebertũ re-
„ centem authorem refert, quod mihi non
videtur

videtur verisimile multis de causis. Quibus verbis quid potest esse sedatius? quid mitius? quid omni bile magis vacuum? quid modestius? Sedata satis essent certè (ô Oxoniensis) omnia, si tu sedato esses animo. Sed in Antiquarium sic affectus videris, vt eum si vel festucam mouerit, verbis herculè non benè sanis, imo penè dixi rabiosis suauis homo laceres. καὶ ἀμφ' ἀσφαγάλοισι χολωθεὶς, sic sæuis tamen, vt canis in lapidē, (ita si liceret dicere) etsi alicubi rides blandū, in laudes vertis stylum, verbis coquinarijs καὶ μειλιχίοις demulces hominem, & rosas loqueris Protheus alter, sed quas tamē cum anemona certè licet conferre. Siquidē vulnere dato medicinam adhibes, & eodem spiritu calidum & frigidum sufflas. Sed temperatè magis (mi Oxoniensis) & gratiora erūt omnia. Mihi certè nec lydorū caryca, nec μαρίγων ψόφοι placēt. Cæterū si non solū subiraſceretur Antiquar. sed et incādesceret acrius, atq; exardesceret quoq; inflāmatus, quid hoc referret tua? quid ad antiquitatē Oxon. confirmādā aut reſellādā faceret?

faceret? Non enim affectus faciunt fidē. Neq; si recentem vocet Sigebertum, cum primo authore Cantabro componēs, quid absurdi dixerit? cum Sigebertum primum fuisse non ante in cōtrouersiam venit, & iam in controuersia positum, non dum est definitum, Cantabro semper primo habito. Itaq; dum tu de ira, de antiquitate ante & post Christum (qua cōtentiosi animi imagines videri possunt, ut pace tua dixerim) & quid antiquum & non antiquum videatur antiquario, verbis quātum potes crimineris, vide nē firmis interim argumentis probari possit, nō tātum antiquitate christiana, sed antechristiana quoq; (vt ita dicā) Cātabrigiensem Academiam fuisse institutam.

Verū non solum iræ hominē insimulas, sed & vanitatis quoq; & mēdatij licēter admodū tuo more alio in loco arguis. E-
» tenim Antiquarium scribis citasse nescis
» quam Polydori epistolam, in qua Poly-
» dorus Cantabrigiensem academiam Cā-
» tabrum authorem agnoscere dicat. Sed nolim sic cātes luscinia. Nam si paulo cōsidera-

sideratius eam rem expendisses, neq; vmbram pro corpore, falsum pro vero habuisses, ac tum demũ animi tui sensum explicasses, certè neq; operam lusisses, neq; existimationem tuam læsisses, neq; in epistolam Polydori (quæ nulla est) diuinationibus & commentis parũ aptis atq; commodis vsus esses. Non enim ex Antiquarij verbis Polydori epistolam intelligendum, sed Academiæ decerno. Nam hæc verba, eius epistola, quæ in Antiquarij literis continentur, non ad Polydorum referenda sunt, sed ad Academiam: vt dicat Antiquarius, eius Academiæ epistola, non eius Polydori, quod tu non animaduertis, ô Oxonienſis. Tanta enim leuitate, tanq; alatis pedibus, in hoc campo ferris, vt non sentias quid calces, & tãta exultatione deprehẽsi erroris gestis, vt non cernas quid deprehenderis. Ne sis tãtæ intemperantiæ in alterutro, ô Oxonienſis, vt de re nusquàm existente, vt si esset, pronuncies, ne Argiuus ille Horatianus videaris, qui hactenus insaniebat, vt totos dies solus desideret in theatro, ri-

dens, plaudens, gaudens, quòd crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil omnino ageretur, interim falsi gaudij vsura fruitus. Ita Ερμόδορος λόγυς ἐμπορέυη, & inanes voces in aerem spargis, dũ falsas iracundias, prodigiosas Μυθολογίας, vanas opiniones, & nimias impudentias non mercẽti Antiquario acerbius obijcis.

Oxonienſis contra Oratorem.

Atq; hæc quidem sunt, quæ in Antiquarium tanquam incredibilia in epistola profitentem, obiter (vt ait) adducit Oxonienſis. In Oratorem verò tanquàm credibiliora & probabiliora dicẽtem, sic consequentur, datáq; opera scribit. Sunt tamen alij (inquit) qui intra credibilitatis (vt hoc verbo vti liceat) limites sese continentes, & veluti à manesſtis mendatiorum portentis abstinentes, ad nescio quem Cantabrum Hiſpaniæ regulum, qui Gurguntij temporibus vixit, illius originem referre malint. Sed neq; hos rectè sentire, sed toto (quod aiũt) cœlò errare, manifestè statim docebo. Orator Cantabrigienſis huic fauens sentẽtiæ, mirè inſensus videtur Ioanni Lelando, peri-

do, peritissimo dubio procul Antiquario ,,
&c. quòd huius authores sententiæ vani- ,,
tatis arguens & mendatij, vnus ausus est ,,
(vt ille ait) tam multis in hanc rem cõ- ,,
sentientibus contradicere, et reiecto Can- ,,
tabro, Sigebertum Ostrosaxonũ regem, ,,
primũ illius institutorem facere. Vbi Confutatio
illud placet (mi Oxonienſis) credibile ti- argumenti
bi videri Cantabrum Academiæ Can- Oxonienſis.
tabrigienſis authorem esse, etsi falsum di-
cas, idq; te probaturum affirmas. Sed
quemadmodum publicato iam libello tuo
confirmaueris, iam expendamus. Lelan-
dus (inquis) huius sententiæ authores ,,
vanitatis arguens & mendacij, Canta- ,,
brum authorem fuisse negat, Sigebertum ,,
ait. Addis, in marginali nota apud
Polydorum Lelandum scripsisse, se apud
quosdam miræ vetustatis Britãnicarum
rerum scriptores legisse, tempore Britonũ
tàm Græcas quàm latinas scholas ad va-
dum Isidis floruisse, easq; bellicis tumul-
tibus deletas fuisse, & non ante Alphredi
tempora restauratas esse. Ad postremũ
scribis, si Lelandi liber de Academijs

Britannicis prodiret in lucem, apertissimè conuinceret errorem illorum, qui nullum non comminiscuntur, quo Cantabrigiensem Academiam, nescis quot annorum centenarijs, vestra antiquiorem esse probent.

Quod ad primum attinet, quis homo ille Lelandus fuit, & qua mente constabat, per longam familiaritatẽ didicimus. Nouimus & in vita & in morte, intus et in cute. Et quamuis erat homo (non nego) doctus atq; diligens, erat tamen in gloriam suam nimium effusus, & planè Meuius aut Suffenus: tantæq; fidei, quãtam fecit aut ratio aut authoritas. At cum nullam aut rationem aut authoritatem cõtra Cantabrum atq; adeo vniuersam historiolam hic adduxerit prætereq; affectus, tantumq; dicat se nunq; vidisse vaniora aut stultiora (quod non satis probat vana aut stulta esse quòd is ita dixerit) non est quamobrem ei fidem adhibeam, etiam si aram tenens affirmauerit, & historiolæ Cantabrigiensis authoritatem, antiquam quidem illam, reijciam, maximè

De authoritate Cantabrig. historiolæ.

maximè in re ſuis temporibus extra omnem controuerſiam poſita, atq; etiam noſtris (niſi in quibus etiam euangelicæ veritates controuertuntur) recepta & comprobata. Quam hiſtoriolam etſi tu per omnia non probes, ego tamen neq; hic neque in multis alijs eam reijciam, cũ ſcriptorum (maximè Ranulphi & Malmeſburienſis inter alios multos, inter quos eſt Beda & Alfridus authore Lidgato) conſenſum videã, quem mox aperiam. Antiquam voco hiſtoriolam, q̃ nuper nata non ſit, neq; à Cantabrigienſibus in gloriam ſuam commenta, neq; domi ſuæ nata, contra quàm Oxonienſis exiſtimat, ſed ante annos multos ab authore cuius nomẽ cognitum non eſt (licet quidam ad Cantelupum referant) conſcripta & per orbem ſparſa. Et quamuis noſtra ætate per venerandum ſenem, et bonæ memoriæ virum Gulielmum Buckenham Theologum, Collegij Goneuilli & Caij Cantabrigiæ præfectum, cum eſſet Procancellarius, in nigrum Academiæ codicem inter alia Gymnaſij monumenta ſit transfuſa,

Antiquit. nigri codicis.

non tamen tum primum ab eo, tanquam à primo authore, conscripta fuit, vt recens opus videatur. Cuius si color offendit, si ideo ineptum putes quod niger sit, en & candidum proferemus, ne quid in candidam veritatem peccet niger codex, vt tu quidem censes: en flauum quoquè atquè ruffum dabimus, si quid colores ad veritatem puritatemquè caussæ faciant. Si papyrus nouitatem arguit, διφθέρας, si libet, vel Amaltheæ capræ exhibebimus. Sin atramento recens videatur, minio literisquè aureis artificioſè elaboratis, scita vetustaquè manu scriptum ostendemus. Si nouam libri faciem incusas, eius argumenti alios vetusta imagine decoratos commonstrabimus. Si vestis noua, si integra displicet, etiam vetustate laceras & detritas producemus. Sin apud solos Cantabrigienses in archiuis hunc repositum existimes, etiam apud huius regni proceres, alioſquè venerandos viros non paucos procul à scholis, inter vetustatis venerandæ monumenta,

menta, non vnum, sed plures, non nouos, sed veteres religiosè asseruatos intelliges: vt hìc omnibus mòdis tibi satisfiat, si quoquo modo id potest fieri.

Iam verò quod ante diximus, fuisse recepta & comprobata præteritis temporibus quæ de Cantabrigiæ ortu & Cantabro in historia scribuntur omnia, diploma seu priuilegium Cadwalladri regis (de quo postea) certissimum facit testimonium: vt cæteros omnes scriptores atq; testimonia tacemus.

Ad secundum argumentum dicimus, nobis fidem non facere si Lelandus dicat nota marginali apud Polydorum, quosdam miræ vetustatis scriptores tradere, tempore Britonum Oxoniæ scholas Græcis Latinisquè literis floruisse, cum nec proferat eorum testimonia, nec indicet nomina. Quasi verò quicquid in buccam illi venerit, historiæ vim haberet, aut quod ab Historico dictum sit, iuratores non exigeret, contra quàm Seneca de morte seu ἀποθεώσει Claudij sensit.

Siquidem in nota quoq; marginali apud Gualterum Couentrensem, anno Annalium 1117. vbi mentio est Crikladi, sed non eius loci Academiæ, idem manu sua scripsit, Crikladi fuisse aliquando Academiam, cum tamen in commentarijs in Cygneam Cantionem, indocti vulgi somnium esse dicat, locum illum Crikeladensem Græcanicis scholis fuisse insignem. Dabis veniam ergo, si nobis secundum allegata & probata, vt iurisconsulti solẽt dicere, iudicandum sit. Quod deinde obijcis, si Lelandi liber de Academijs prodiret in lucem, illos conuinceret qui antiquiorem Cantabrigiensium Academiam Oxoniensi astruant, persimile videtur illi argumento, quòd veteri nostro prouerbio dicitur, si cœlum ruat, caperẽtur alaudæ. Nam cum neutrum sit, nec ille quicquam probat, nec istud quicquã capit.

Postremo, quod asseris non Lelandum solum, sed & veterum & recentiũ scriptorum probatissimos monumentis prodidisse, Sigebertum Cantabrigiensis Academiæ

demiæ conditorem extitisse, tuo more dolis agis (vt tua pace dicam) & non iustis argumentis. Adeò morbus iste adlubescit, si quem corripuerit. Nam postquã ab vno atq; altero recentiori auspicatus fueris, vt Polydoro, Baleo, atq; Lilio, quorum oscitante vno oscitat & alter, nam vnum Polydorum authorem sequuntur omnes, cum locus sit introducendi veteres scriptores, nullum prorsus introducis, sed in alium locum differs, hisce verbis. De veteribus scriptoribus qui in eandem pe- ,,
dibus (vt dicitur) eunt sententiam, mox ,,
dicemus. Proximis tamen verbis, quasi sola vetustatis commemoratio sine testibus atq; testimonijs productis sufficeret, Larus parturis, concludisq; ad istũ modum. Clarè iam liquet opinor, non tam ,,
malè sibi consuluisse Lelandum, q̃ prædi- ,,
cat orator, quãdo non solus affirmat, quòd ,,
tam multi (sic enim authores numeras vt ,,
arenas) cum illo tam veterum quàm re- ,,
centium scriptorum confirmant. Quasi ,,
vero vtriusq; generis plures produxeris, ac non alterius duntaxat tres. Aut quasi

trium istorum testimonia vnum non essent, sed plura, vno Polydoro authore, pluribus, qui eum authorem sequuti sunt, referentibus. Atq; ita pedibus quidem itum est, vt tu dicis, sed peronatis certè: & ijs non plurium veterum pro tua pollicitatione, sed vnius recentis In hoc tamen cautè agis, quod, opinor, narras, cum certa res non sit, & ni opineris, nihil prorsus concluderes. Est enim, opinor, basis, fulcimentum, & neruus tui argumẽti. Idcirco simplicius fuit cũ, opinor, narras, nescio dicere, cum ad istum modum plura in re dubia & incerta liceat opinari, sic vt dubium sit nauis ne an Galerus, lepus an filix sit, vt dici solet. Postea tamen in alieno argumento, interpositis aliquot paginis, quasi in confirmationem huius argumenti longius dissiti, pleno ore profundere te putas veteres scriptores, cũ tamen nihil tanto hiatu dignum profers, & paucos admodum adducis, qui certè non Sigebertum authorem asserant, quod in controuersia fuit, sed aliud quid, nempè Cantabrigiensem academiam, non vniuer-

uniuersalem scholã, qualẽ Sigebertus posuisse dicitur, si diys placet, ostendant, istis verbis. Restat iam vt veterũ sciptorũ testimonio probemus, talẽ à Sigeberto Academiã Cãtabrigiæ non esse institutã, quam lẽ supra definiuimus. Et sic ab alijs ad cepas dissiliẽs, oculos oratori technis atq; dolis ꝑstringere tẽtas, quibus M. Cicero nihil odiosius putat. Lib. enim offic. j. vim et fraudẽ bistiarũ esse existimat. Alterã enĩ leonis, alterã vulpeculæ esse iudicat, neutrã hominis esse censet, et fraudẽ odio dignã maiore: totiusq; iniustitiæ nullã capitaliorẽ esse q̃ eorũ, qui tũ cũ maximè fallunt, id tamẽ agũt vt boni viri esse videãtur. Nã etsi id vtile sit causſæ, nõ est tamẽ honestũ personæ. Qua de causſa sapienter Aristides, q̃ dissuasit ne Lacedemoniorũ classis incenderetur. Nam etsi cõmodũ id fuisset Atheniẽsibus, non tamen honestũ erat: sentiens cũ Furio Camillo de proditione Faliscorum, et cum Fabritio de tollendo Pyrrho, eam esse verã victoriã, quæ salua fide et integra dignitate pararetur. Ego tamen æquior sum (mi Oxoniensis).

Nam

Nam sine pennis volare, haud esse facile sentio: & fraudes dolosq; imbecillum decere, dixit olim Seneca: & eos maxime, qui cum superos nequeunt flectere, Acheronta student mouere. Sed adycis ex Lelando, Rousum seu Rossum quendam Waruicensem authorem nouum, & anno gratiæ 4491. viuentem, scripsisse contra librum Cantabrigiensis historiolæ.

Id si fecerit (ô Oxoniensis) quid mirum obsecro te, cum eadem schola qua tu edoctus est. At Lelandus ille tuus, cui tu tantum tribuis, Rossum illum longè maioris diligentiæ hominem fuisse, quam iudicij, monumentis suis tradidit. Sed neq; diligentiæ sanè nimiæ. Etenim in libro de Academijs Brit. scribit, Crekeladam, Latheladam, & Lecheladam, tres fuisse academias, cum tamen ex Iorenal. constet hist. Lathelade & Lechelade, »» eundem fuisse locum. Apud Lathelade »» (inquit historia) quæ modo vocatur Le»» chelade, iuxta Oxoniam. Vin ergo tantum in affirmatione eius pondus esse, vt citra authoritatem quod cupis efficiat?

& Can-

& Cantabrigiensis antiquitatis fidem et authoritatem, quæ altiores ægit radices quam vt istis modis possit euerti, vnius oris spiritus & inanis vox conuellat? Itaq; cum prætèr sententiam eius nullo cõfirmatam argumento, contra antiquitatem Cantabrigiensem nihil adducis, nihil aliud est quod contra eum ipse dicam, quàm referentis Lelandi iudicio, scribẽtis Roussi authoritatem repellam. Polydorus certè Vergilius, homo doctus atquè moderatus, vsquè adeo non videtur historiolam Cantabrigiensem reijcere, vt in dubia authoris fide propter solam nominis incertitudinem, etiam in confirmationem adducat. Nam lib. v. Angl. hist. quo loco Cantabrigiensem Academiam Oxoniensi antiquiorem probat, sic scribit. Certat nominis celebritate cum »» Oxoniensi Gymnasio Academia quæ »» Cantabrigiæ apprimè floret, quæ tametsi »» scholasticorum numero, & cœnobiorum »» magnificentia minus vincit, bonarum ta»» men artium feracitate nequaquã impar »» est. At vero antiquitate longè præstat. »»

1. Antiquitatis Cantabr. confirmatio.

Quod

Quod cum paucis interpositis comproba-
2. uerit, hæc assumit. Verum si commenta-
„ riis credimus incerti authoris, antiquior
„ est tum oppidi tum Gymnasij origo. Ita
Polyd. de historiolæ authore (quisquis ille
fuit qui Cantabrũ Hispanũ Cãtab. gym-
nasij authorẽ facit) nõ iniquè censuit. Et
cũ scholasticorũ numero minimè vincere
dicat, non inferiorem tamen eo nomine
sensit. At literis, partem quidem, antiqui-
tate verò, longè superiorem. Quod idem
cum Orator dicat, non video sanè quæ sit
Oxoniensi Academiæ facta iniuria (de
qua tamen Oxoniensis conqueritur) non
magis certè q̃ fratri natu minori, q̃ frater
natu maior superior ætate censeatur.

Hic tamen Polydorus si eius solus esset
sententiæ, nec alios plures assertores ha-
beret, Oxoniensi æquior essem. Iam verò
cum scriptorum consensus sit (vt Anti-
quarius & Orator dicunt) nec tanta
paucitas quantã Oxoniensis putat, spe-
ro futurum, vt & Oxoniensis ipse sen-
tentia deduci possit, & illi facilè persua-
deam (ni omnino præfractus homo sit,
& pa-

& parum audiens rationi )vera esse quæ de Cantabro, Cantabrigiensisquè Gymnasij antiquitate dicuntur omnia : nec tamẽ ampliorem fidem postulo, q̃ aut ratio aut authoritas fecerint. Incipiam ab incerto authore, vt certorũ authoritate comprobem, non illo quidem primo, sed alio: non ob id tamen minoris fidei q̃ nomẽ non habeat, cum rarũ admodũ sit nostræ gẽtis scriptoribus nomẽ addidisse, propter modestiam ne an gentis morem nescio, an tertio aliquo, nimirum quod veritas odiũ pariat, libertasq̃ dicendi historica periculũ afferat: aut, ne videatur famam aucupari: nè ue materia detrahendi detur: ne vilescat opus cognito authore, ne materia non respondeat dignitate personæ. Quæ caussæ esse possũt quoq́, vt si quando nomen addant, tã occultè id faciant, atq́ literis maiusculis initialibus capitũ prooemij, libri, aut vtriusq̃ id abscondant, vt te omnino lateat, nisi collatis literis. Ad quem modum Polychronici scriptor & nomen & professionem in proœmio libroq́ primo istis quæ sequũtur literis explicat.

Cur suppressa Scriptorũ nomina.

Ratio explicandi occulta Scriptorum nomina.

PRAE-

PRAESENTEM CHRONICAM COMPILAVIT FRATER RANVLPHVS CESTRENSIS MONACHVS. *Idem de arte prædicandi.* ARS RANVLPHI CESTRENSIS: *interpoſito inter ſingulas literas integro capite. In qua explicandi nominis ratione ſi diligentior eſſe cupis, & illud obſeruandum tibi eſt: ſi duæ literæ capitales eiuſdem figuræ duorũ conſequentium capitum concomitentur, alteram tantum eſſe aſſumendam.*

*Ioannes Sulgenus quoq́ (quem Sulghenũ et Sullienum Walli nominant) memoratæ eruditionis vir apud Cambros, qui vitã patris ſui Sulgeni (proximi ante Abrahamum Sancti Dauid epiſcopi, priuſquã Gul. Normannus in Britannia gubernaret) verſu quidem exametro, ſed literis Saxonicis ſcripſit, nomen ſuum capitalibus Carminum literis explicauit. Inter quæ illud memorabile eſt, fuiſſe patris ſui memoria in Anglia et Hibernia clariſſimas literarum ſcholas, quod iſtis verſibus ex-*

bus extulit.

Qui postquam primo Nablam tenesi edidit infans,
Pestlustrat scolas studio floscente Britannas.
At crescente simul ardore ac tempore multo,
Exemplo patrũ commotus more legendi,
Iuit ad Hibernos sophia mirabile clamor. Scholæ in Hibernia.

*Neq; nouum sanè nominandi genus istud est, sed vetus, cum obseruem Sibyllam quoq; Erythræam (vt de Ennio taceam) vsam esse. Etenim versibus suis cũ hæc de Iesu Christo verba, ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱος σωτὴρ, occultius vellet explicare, primis horum suorum Versuum literis, omne mysterium, etsi retrusius, extulit.*

Ιδρώσει γὰρ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσαι,
Ηξει δ' ὀυρανόθεν βασιλεὺς ἀιῶσιν, ὁ μέλλων
Σάρκα παρὼν κρῖναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ὀψονται δε θεον μέροπες πιστοὶ, καὶ ἄπιστοι
Υψισον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπι τέρμα χρόνοιο
Σαρκοφόρον, ψυχὰς δ' ἀνθρώπων ἐπὶ βήματι κρινεῖ.

*Et que sequuntur, ad viginti Versus: quorum vltimus est,*

Ρεύσι δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς, ἠδὲ γε θείῳ.

*Ex quorum priorũ sex carminum (quas ἀκροσιχίδας Graeci dicũt) literis capitalibus compositis, Ιησοῦς produco. Cetera breuitatis caussa reseco. Illud addo tamẽ necessario, in sexto versu, ψυχὰς δ' ἀνδρῶν non ψυχὰς δ' ἀνθρώπων legendum esse. Sic enim carminis ratio postulat. Proindè castigandi sunt cod. Sibyllini, & si qui sunt qui ista mendosè referunt: vt Euse-*

bij

biȷ̃ λόγος βασιλικὸς in Conſtantinũ regẽ, Diui Aug. lib. xviij. de ciuitate Dei ad Marcellinũ, cum ſcholijs Lodouici Viues. Meminit horum verſuum, ſed Latinorum, Matth. Pariſius in Hiſtoria maiori, ætate quarta. Ad iſtum modum literis luſitare noſtris hominibus viſum eſt, aliquando in nominibus, aliquando etiam in carminibus, vt Hubaldo noſtro, Hubaldus. Poetæ non vulgari, qui de laude Caluorum ſcripſit ter quinquaginta verſus, ad exemplum numeri ter quinquaginta pſalmorum Dauidis Prophetæ, quorum verſuum ſingulæ voces incipiunt à. c. litera, ad hanc formam.

Carmina clariſonæ caluis cantate camœnæ,
Comere condigno conabor carmine caluos.

Quos primos eius verſus exempli gratia aſſcribo. Atq; ita iſti quidem literis: Alij numeris ſua nomina explicarunt. Etenim Scalæ chronicæ author, homo Britannus, etſi Gallicè ſcribat rudius, & ordinis equeſtris Balneorum Regalium, li- Graius.

terarum Alphabeticarum numeris, non literis et figuris nomen ſuum expreſſit. Iungendo enim decimanonæ literæ Alphabeticæ (quæ eſt. T.) decimamoctauã, decimamquartam, duodecimam, primã, & decimamoctauã (quæ ſunt H. O.M. A.S.) reſultat proprium nomen T H O. M A S, etſi ſunt qui nomen illi Ioannis fuiße ſcribãt. Tum dein ſeptimæ (quæ eſt G) committendo decimam ſeptimã, primam vocalem atq; tertiã (ſunt autẽ iſtæ, R. A I) cognomentum G R A I oritur: quod non malè coniecturis ſuis conſecutus eſt in Aſſertione Arthuri Ioannes Lelandus, qui opinatus eſt hunc, Graium appellatum. Iſtiuſmodi inuolucris nominum & alij ſcriptores noſtri vſi ſunt, explicatu difficillimis, niſi artis eorũ gnaris, ob eas (credo) quas antè dixi caußas: quò minus credas minorem fidem adhibendã, quòd cognomentis vacẽt. Quòd ſi eo minoris fidei eßent, quòd nomina non haberent, neq; decreta Gratiani, neq; Gloſſemata Accurſij, imo neq; epiſtola diui Pauli ad Hebræos, tantæ fidei eſſent, quantæ eſſe

esse certè deberẽt. Nam epistolæ illi diuũ Paulũ non addidisse nomẽ, notum est, & Gratianũ atq; Accursiũ nomina in principio non apposuisse (quicquid hodiè à posteris factũ sit, quòd cognitus eorum stylus est) author est Ioã. Andreas, iurisconsultorũ non postremus, de regulis iuris sexto. Imo neq; cõmentarijs tuis (ô Oxoniensis) esset adhibẽda fides, q̃ tuo careãt nomine. Sed redeo. Is inquã author incerti quidẽ nominis, authoritatis tamen grauis, anno à Christo nato 1447. minio & attramẽto in charta pergamena scriptus, cũ Londini, Eboraci, Castri puellarum (quod Edenburgum dicit Nicolaus Treuetus in Annal. regũ Angliæ, in anno domini 1189.) Carleoli (quòd Antoninus & Ranulphus Luguballiã vocant) Cãtuariæ, Septoniæ et Bathoniæ vrbiũ authores et initia explicuerit, vniuersitatẽ Cantabrigiẽsem (sic enim vocat) à Cãtabro duce ædificatã asserit anno à mundi creatione 4095. et frequẽtatã à Philosophis antè Christi incarnat. 394. ab aduentu Bruti 2425. ab ædificatiõe vrbis Lõdini 2430. 3. Nic. Treuetus.

„ Addit præterea constare (hoc enim verbo
„ vtitur) Cantabrigiam fuisse vniuersita-
„ tem ante tempus quo hæc scripserat annis
1825. Quibus explicatis, postremo in lo-
Vrbes antiquior. et nobil. Britannicæ. „ co hæc subdit. Et quia hæ ciuitates an-
„ tiquiores & nobiliores erant in Britan-
„ nia, de cæteris ciuitatibus ponam ori me
„ claustrum silentij. Vniuersitatem dicent,
Vniuersitas. vt & maiores nostri, quo sensu Cicero
mundum dixit vniuersitatem. Nam vt
hic res vniuersas suo complexu contineat,
ita hæc vniuersarum scientiarum cogni-
tionem & professionem habeat.

4. Post hunc Rogerus Boulus, Neona-
Boulus. mienſis historicus, est, homo doctus atq;
diligens, qui præterquam quòd antiquissi-
mam esse tradat, etiam à Cãtabro extru-
tam scribit, & varias clades ex direptio-
nibus & vastationibus Danorum, ex po-
Historia Cantabrigiensis Academiæ. pulationibus & iniurijs Saxonum, per-
pessam explicat, de quibus in libris no-
stris de Historia Cantabrigiensis Aca-
demiæ explicatius agimus. Refert quoq;
Gurguntij temporibus institutũ gymnasiũ
anno mundi 4321. & secundum quosdam
(inquit)

(inquit) 1829. *Fidem facit authoritate variorum librorum vetustorum quos inuenerat in monasterijs Angliæ, sed præcipuè Walliæ & Cornubiæ, & inter ea Morganensi monasterio: docetq; in eo libro, non solum de Cantabrigia, sed de alijs vrbibus Angliæ pertractari, librumq; sic incipere: Chronica verò quæ sunt imagines historiarum &c.*

*Sed quia fusior hic est, proniorq; in rẽ cõtrouersam de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ (ne qua suspitio esse possit falsæ aut authoritatis aut relationis quòd liber scriptus sit, & non dum extat publicè, vt nec multi alij nostri scriptores quibus vtor) visum est Ioãn. Lydgati (Galfridi Chauceri, nobilissimi olim Poetæ discipuli, omnium poetarum sui temporis in Anglia facilè principis sicut Baleus scribit) proferre testimonium, opus iam antè annos multos Anglico metro formulis excusum, omniq; populo diuulgatum. In quo non suam profert sententiam, sed Bedæ et Alfridi transfert historiam: quos constanter affirmare dicit, Cantabrum ducẽ* 5.

Lydgatus.

Beda.

Alfridus.

Partholini regis Hiberniæ fratrem, Cantabrigiam super Cantam fluuium, muro cinctam, turreq; defensam condidisse, nomenq; Cantabrigiæ dedisse anno mundi 4348. à transmigratione Babiloniæ ãnis 230. & antè Christũ ãnis 539. Authores præterea esse, Cantabrũ Athenis eductum, inde Philosophos aduocasse, et Cãtabrigiæ docendi gratia collocasse: & ab his initijs ad suam (Bedæ et Alfridi) memoriam, primæ scholæ & Vniuersitatis nomine Cantabrigiã claruisse. Dein accessisse Cassiuellauni Regis fauorem anno à trãsmigratione Babiloniæ 532. qui multis concessis priuilegijs, gymnasium non solum exornauit, sed etiam amplificauit: Cumq; Romam societate Iulij Cæsaris cõcedendum fuit, multos præclaros Cantabrigiensis Academiæ viros secum abduxisse. Ad extremum, & antiquitate venerandam Academiam, & fama honesti nominis prædicatam esse, quòd nunquàm facinorosæ hæreseos infami nota contaminata extiterit. Hæc Beda & Alfridus Beuerlacensis interprete Lydgato, cuius verba

Cantabrigia prima vniuersitas.

verba etiam Anglica posuissem, si ipse Latinè non scripsissem, aut opus non extaret publicè. Hinc natum puto quòd Iossridus Croilandensis historicus (cuius historiæ extremam partem quidam ad Petrum Blœsensem referunt) ad istum modum de Cantabrigia scribat. Iam magnam videmus, iam lætificatam ciuitatem Dei, & totam Angliam factam frugiferam per plurimos Magistros Doctoresque de Cantabrigia exeuntes, ad similitudinem sanctissimi Paradisi. Tantus erat honos Cantabrigiensis Academiæ. Cantabrigiæ laudatio.

Secundum Lydgatũ est et alius scriptor, anonymos quidem, sed bonus author in primis, qui scriptis suis commendauit, Cantabrigiæ Vniuersitatem incæpisse ante tempus Cassiuellauni annis 322. & Cassiuellaunum extitisse post transmigrationem Babiloniæ annis 532. & Gurguntium floruisse anno Mundi 4317. circiter Dionisij Siculi tyranni tẽpora, vt Ranulphus lib. j. & .iij. scribit. 6.

Lego etiam in vetusto quodam libro 7.

D.v. Ioannis

Ioannis Warkeworth, Lanfrancum quendam Idoneum authorem scripsisse chronicon Wallicè, quod olim inter chronica alborum Monachorum Morganiæ reperitum, sic scriptum habuit. Anno à mundi creatione 4824. Gurguntius Belini filius Bartholomeo et Cantabro propter seditionem in partibus Hispaniæ facta, apud Insulas Orchadũ in mari obuiauit, quorum precibus post multa acquiescens, cõcessit eis Hiberniam tunc ad inhabitandam. Etiam eodem anno Cantabrigia sumpsit originem. Hæc Lanfrancus.

8. Accedit istis vetus genealogiæ principum Cambrorum, Britannicorum, & Saxonicorum author, non minus grauis quàm doctus. Is linea seu prosapia principum Cambriæ, vbi de Bladud mentio est, sic scribit. Facta est Cantabrigia à Cantabro duce ante incarnationem per annos 394. et à Philosophis frequentata, vt dicit Gildas in lingua Britãnica. Hæc quidem ille. Eo etiam libro quem scripsit de victoria Aurelij Ambrosij (regis Britonum

tonum & reparatoris monasterij West-monasterienſis anno 1088. vt ex hiſtoria eiuſdem eccleſiæ intelligo) multa de Cantabrigia Gildam ſcripſiſſe, author eſt Ioannes Herriſonus. Idē genealogiæ ſcriptor, vbi ad Aluredum ventum eſt, in linea Weſtſaxonum ad iſtum modum habet. Iſte Aluredus fundauit Vniuerſitatem Oxoniæ anno dñi 873. Sed Cantabrigia erat fundata à Cātabro duce antè incarnationē annis 394. et à Philoſophis inhabitata. Et ſic Cantabrigia erat antè Vniuerſitatem Oxoniæ per 1267. annos. cuius libri Genealogici initium eſt: Cuilibet principi congruum, vtile, & honeſtum eſt, genealogiæ ſuæ ſeriem cognoſcere &c. quod addo, vt libro ſit authoritas, cum non ſit illi nomen.

Cantabrigia longe ante Oxonium.

Confirmat Richardus Diuiſienſis, antiquus & ipſe ſcriptor, doctus in primis atq; elegans, ex Caſtro de diuiſis in Wiltonia prouincia oriundus, qui in epitome rerū Britannicarum grauiter ſanè in hæc verba ſcribit. Gurguntius. In huius tem-

9. Diuiſienſis.

tempore condita est ciuitas Scholarium Cantabrigia à Cantabro duce.

10. His suffragatur Ioannes Herrisonus, Artium & Medicinæ doctor, & author non incelebris, idem planè in summa sentiens, quæ historiola, ac præterea docens, Cantabrum anno sexto Gurguntij eidem fuisse obuiam in mare. Scripsit iste anno salutis 1464.

11. Nicasius Cadnæus quoquè de aduentu Iulij Cæsaris, vir cum primis doctus, author est, ciuitatem Cantabrigiam studiorum matrem, fuisse anno mundi 4415 super Cantæ flumẽ in orientali plaga Britanniæ artificioſè constructam à Cantabro Regis Hispaniæ filio, tempore Gurguntij Regis Britonum, & multipliciter decoratam Philosophorum præsentia, ex qua processerunt Doctores & Poëtæ totius Europæ.

12. Quin & Guolphgangus Iustus, rei Academicæ non indiligens scrutator, in Catalogo Academiarum tradit, esse qui Cantabrigiensem Academiam antiquiorem statuant, quàm aut Polydorus aut

Baleus

Baleus statuerunt. Quod certè est verissimum, cum sint qui scribant tempore Regis Bladud, qui Gurguntium antecessit, fuisse conditam.

His subnectam Georgium Lilium, diligentem sanè virũ, qui in chronico Anglorum Regum, in Aluredo conteſtatur, Cantabrigiensem Academiam antè Oxoniensem fuisse annis 265. nec tamen se extendit vltra Sigeberti tempora. 13.

Cum istis, quod ad gymnasij authorẽ attinet, consentit Georgius Coriatus, Poëta Oxoniensis, & cum primis elegans, hisce versibus: 14.

Et duo sunt totum gymnasia nota per orbem:
Oxonium studijs florens, mihi dulcis alumna,
Regis opus: tuaq́, illustris Rex Cantaber ædes,
Magnificè florens sacris Academia musis.

Secundum hos Stoueus est, in cuius authoritate totus conquiescis, qui in epitome chronicarũ ex antiquis monumẽtis, 15.

his

his subscribit, quem tamen tu Oxonien aduersari dicis. Is postrema sua editione δευτέραις φροντίσεσιν aucta, & non ann annũ domini 1566. in octauo excusa, scri bit, Gurguntij temporibns constructam academiam: Sigeberti reparatam. A

Gorbonianus. Gorbomanni temporibus (quem Huntu donensis & Monemutensis Gorboniani vocãt) qui extructam dicunt, errore no minis Grantam deluſos censet, quòd Cã tabrigiam Grantam quoq; ea ætas nomi nauit. Atq; ita cum Grantam Lincol nienſem ædificatam dicerent, Grantam Elienſem ædificatam ſcribunt. Sed cum ædificatam dicunt, reparatam intelligũt: cum alioqui vnum et idem principium a tate Gurguntij (quòd iam nunc conſtat) atq; etiam Gorboniani (quod non dum conſtat) natura eſſe negat. Monemu tenſis verò lib. primo cap. xxj. de templis extructis et reparatis à Gorboniano ſcri bit, de ciuitatibus non ſcribit. Etſi Eu logij hiſtoriarum ſcriptor, libro ſecundo quinti libri (nam quintum in plures diui dit) Gorbonianũ ciuitates renouaſſe, duas autem

Granta & Grã tam.

autem de nouo ædificasse monumẽtis tradidit, Grantam scilicet & Cantabrigiã, easq; suo nomine insigniuisse: pari forsan cum priori errore. Nam Granta seu Cantabrigia nominis similitudine nihil habet cum Gorboniano commune, nisi cũ Grandobodia, altero eius apud authores corrupto nomine, conuenire dicas. Hinc tamen natũ videtur, quòd historia sancti Albani, & Thomæ Lanqueti chronicon tradant, antè Christũ natum 303. Per Gorbonianum Cantabrigiam extructam. Nisi si fortè idem Eulogij author, Cantabrigiense castrum vocet Grãtam, quo nomine id olim appellatum, antiquæ memoriæ scriptor Felix monumẽtis suis prodidit. Geruasius tamen Tilberiensis Cantubricam antiquitus appellatum scribit. At Grantam pro castro dixisse, non sit verisimile, cum castrum vrbs non sit: de qua hic sermo est. Quomodocunq; se res habet, etiam ista authoritate Eulogij, multo antiquior est Academia quæ Cantabrigiæ est, quam quæ est Oxonij.

Castrum Cantabrigiense.

Sed

16. Sequitur & Iacobus Middendorpius de Academijs celebrioribus, & Cantabrigiensem Oxoniẽsi antiquiorem dicit. Addit & hoc, sunt qui antiquiorem putent.

17. 18. Sed hi postremi, recentes sunt. Redeo ad Antiquos: Ranulphum dico & Hũtudonensem. Sic enim Henrici Huntudonẽsis, summi historici & archidiaconi, nomen in vetustis codicibus scriptum inuenio. Hi libris historiæ suæ primis, inter antiquißimas & nobilißimas totius Britanniæ Vrbes Cantabrigiam connumerant. Vtriusq; verba subscriberem, nisi vterq; idem prodiderit. Quia tamen Huntudonensis plenius scribit, atq; alterum tum antiquitate, tum authoritate anteuertit, eius solius verba subiunxisse satis fuerit. Erat autem (Britãnia inquit) ciuitatibus quondam viginti octo nobilißimis insignita, præter Castella innumera, quæ & ipsa muris, turribus, portis & seris erant instructa firmißimis. Ciuitatum autẽ nomina, hæc erant Britannicè. Cairbranc, id est Eboracum: Cairchent,

Antiquę vrbes.

Cairchent, id est Cantuaria : Cairgo- ,,
rangon, id est Wigornia : Cairlunden, id ,,
est Lundonia : Cairlirion, id est Leice- ,,
stria : Caircollon, id est Coleceastria : ,,
Cairgloue, id est Glouceastria : Cair- ,,
cei, id est Ciceastria : Cairbristou, id ,,
est Bristollia : Cairceri, id est Cire- ,,
ceastria : ( Asserus de gestis Al- ,,
phredi anno 679. Cirrenceastre inter- ,,
pretatur, ) Cairguent, id est Wince- ,,
astria : Cairgrant, id est Granteceas- Cantabrigia
tria, quæ modo dicitur Grantebrigia : antiqua ciuitas
Cairlion, quã vocamus Cairleuil : Cair- ,,
dauri, id est Dorcestria : Cairdorm, id ,,
est Dormeceastria : quæ sita in Hunte- ,,
donensi prouincia super flumen quod vo- ,,
catur Nen, penitus destructa est : Cair- ,,
loitchoit, id est Lincolnia : Cairmardin, ,,
quæ nunc quoq; sic vocatur : Cairguortõ, ,,
Caircucerat, Cairguortegern, Cair- ,,
urnach, Caircelennon, Cairmeguaid : ,,
Cairleil, id est Luguballia : Cairperis, ,,
id est Portchestre : Cairlegion, in qua ,,
fuit archiepiscopatus tempore Britonum: ,,
nunc autem vix mœnia eius comparent, ,,

vbi vsca cadit in Sabrinam: Cairdraitõ, Cairmaircipit (forsan Cairmunicip, quod Nennius Verulamium, notam adhuc vrbem propter Sanctum Albanum, vocat:) Cairsegent, quæ fuit super Thamesin non longè à Redinge, & vocatur Silcestre. Hæc erant nomina tempore Romanorum & Britannorum. Hactenus Huntudonensis. Cui consentit & Gildas de gestis Britonum, qui viginti octo esse dicit, & recenset nominatim, sed sine interpretatione. Et Ranulphus quoq; qui enumerat quidem, sed pauciores: & pro Cairperis & Silcestre, legit Caerberis & Selecestre. Sunt & alij qui triginta duas recensent, & Caerperis legunt. Alfridus & Radulphus Marrham in manipulo chronicorum viginti octo fuisse dicunt, sed decem & octo tantum referunt, & aliquibus nominibus scribendis à cæteris variant: vt Cairlud, id est Lundõ: Caerglau, id est Glouceastria: Caerceri, id est Circestria: Caergrant, id est Cantabrigia (quo modo etiam nominat Ioannes Vfforde in Scuto Bedæ) Caerleil, id est

id est Luguballia: Caerporaris, id est Porcestria: Cairdorin, id est Dorcestria: Cairludcoth, id est Lincolnia: Caermarlin, id est vrbs Merlini: Caersegẽt, id est Silicestre, quæ super Thamesin non longè à Redinges ponitur: Caerlium vel Caerlegion, id est vrbs Legionum: Caerbadon, id est Bathonia: Caerpaladur, id est Septonia, quæ hodiè dicitur Shaftesbery. Ninianus quoq; in Eulogio historiarum has easdem vrbes recenset: & Nennius in Catalago vrbium. Asserus de gestis Alphredi anno 875. de Grantabricge quoq; meminit.

De his viginti octo ciuitatibus, muris, turribus, portis atq; propugnaculis benè munitis, Beda quoq; ecclesiasticæ histo. gentis Angl. lib. j. cap. j. meminit. Muros habuisse inter eas Cantabrigiam, quam Grandacestriã in impressis, Grantacestre in scriptis, & Grantaceastre in Saxonicis libris Beda vocat, Idem Beda lib. iiij. eiusdem hist. cap. xix. in illis, cap. xxj. in Saxonicis apertè docet. Nam iuxta vrbis muros (inquit) repertum est ex 19. Muro cincta Cantabrigia.

albo marmore diuæ Etheldredæ monumentum. Ex verbis item cõmemoratis Henrici Huntudonensis lib. j. de antiquis vrbibus, et Ranulph. Cestrensis ex lib. j. cap. xlvij. de eisdem scire licet, non solum Castella, sed & ciuitates illas vigintiocto muris cinctas, turribus, portis atq; seris fuisse defensas. Id etiam Cair vocabulũ loquitur, quod non nisi vrbibus muro septis attribuitur: nam ipsum, murum significat, vt Cambri dicunt. De hac vrbe Cairgranti nomine, meminit quoq; historia sancti Albani, qui Caxtoni Impressoris nomine circũfertur: & sine cognomento Robertus quidã, qui sub Henrico tertio scripsit, in ipsis Librorum initijs. Sed extitisse Cantabrigiam atq; eius Academiam Britãnorum & Romanorum temporibus, & eas antiquas atq; nobiles, ex his quidem constat satis.

20. Arthurus.

Fuisse autem antè Sigeberti tempora studium Cantabrigiæ, & hæc docent, & diploma illud magni regis Arthuri, quod subsequitur. Arthurus regali à Deo fultus dignitate, omnibus suis salutem.

Quia

*Quia omnipotens Deus per misericordiam clementiæ suæ absq; vllo antecedente merito, sceptra regis mihi largitus est, libenter ex eo quod dedit retribuo. Idcirco eius gratia eruditus, pro amore cœlestis patriæ, remedioq; animarum anteceſſorũ meorum Britanniæ regum, pro augmentatione insuper reipub. regni mei Britanniæ, ac profectu spirituali scholariũ in lege domini iugiter Cantabrigiæ studentium, consilio et assensu omnium & singulorum Pontificum & Principum istius regni, & licentia sedis Apostolicæ, statuo præsenti scripto, & firmiter decerno, vt ciuitas Scholarium prædicta (vbi hactenus splendorẽ scientiæ et lumen doctrinæ, gratia fauente conditoris, mei prædeceſſores acceperũt) à publicis vectigalibus & operibus oneroſis absoluantur, vt quietudine doctores inibi & scholares valeant doctrinæ studio inhærere, sicut glorioſus rex Britanniæ Lucius decreuit, christianitatem amplectens prædicatione doctorum Cantabrigiæ. Quamobrẽ sint scholares atq; doctores Cantabrigiæ manẽtes,*

Reges antè Arthurum Cantabrigiæ docti.

Eluani (credo) Meduuini & aliorum.

in trãquillitate perpetua tuti, priuilegijsq; muniti regalibus cũ ſuis rebus & familiaribus ab omnibus ſæcularibus ſeruitutibus, nec nõ à regalibus tributis maioribus ſeu minoribus. Datũ anno ab incarnat. dñi 531. vij. die Aprilis, in ciuitate Lõdõ.

Hæc Arthurus: Cuius authoritatem ſi quis eleuare ſtudet, quòd Polydorus Ang. Hiſt. li. iij. vana eſſe quæ de Arthuro ſcribuntur aſtruat, is nõ videtur mihi vetuſtatis monumenta diligenter euoluiſſe, ſed de rebus eius planè ſomniaſſe, cũ de geſtis Arthuri, de regno, de caſtris, de regijs, de cõuiuijs, de legibus, de Academijs, de vita de morte, de ſepultura plena ſunt omnia: adeo vt hic Io. Lelando de aſſertione Arthuri magis accederẽ, ſi nullũ mihi de vetuſtate iudiciũ eſſet, quã Polydoro, qui vt in alijs, ita & hic licẽter errat, vt pace eius dixerim, etſi in alijs benè geſtis cõmẽdarẽ. Quem, ne aliquando intelligerẽtur errores, fama percrebuit, atq; etiã cognitũ & cõpertũ certò eſt, tot hiſtoricos noſtros vetuſtos & manuſcriptos immani ſcelere igni cõmendaſſe, quot ne plauſtrum quidẽ poſſet

posset capere atq; sustinere, arbitratus, vt credo, se eius generis omnes solũ habuisse: aut veritus sibi vitio dari, & secutus legẽ iãpridem librorũ veterum castigatoribus datã (vt ipse de se ait in p̃fatione in Gildã) nõnulla resecuerit, quæ scriptores prodiderunt. Supersunt tamen deo volente q̃ plurimi omnis generis, & Polydori multò pleniores et perfectiores. Qui si conseruẽtur, nec ea barbarie atq; feritate consumãtur, qua tum cũ monasteria nostræ ætatis legibus sunt sublata, spes est ad rerũ Britannicarũ superiorũ tẽporũ cognitionẽ, & ad præsentiũ et futurorũ magnũ vsum futuros. Quãobrẽ non video cur Adamus Muremutensis, homo Britãnus & Historicus Lond. vetus tãtopere conquestus sit in prologo operis sui de cõtinuatione hist. Matt. West. paucos esse scriptores factorũ antiquorũ memorabiliũ in Britãnia, cum tamen Albert. Crantzius homo externus, in hist. Sax. scribat, in Anglia fuisse ãnales multos, et vt eius vtar verbo, expeditissimos. Ob quã causã multa de hist. Anglica suo operi intertexere recusauit, atq; ad

In alijs codicibus, Mirimuthensis.

Lib. 1. Cap. 22.

Annales Anglicos data opera Lectorẽ relegat. Sed redeo ad Arthurum, cuius historiam vehementer laudo. Excipio quasdam aniles fabulas, quas Gul. Nouiburgensis in proœmio, & Henr. Marleburgensis suo damnat in libro, cum alioqui dignus Arthurus erat, quem veraces historiæ prædicarent, vt idem Marleburgensis censet, quòd labentem patriam sustinuerit, infractos ciuium animos ad bellum acuerit, & alia multa egregiè gesta perpetrauerit. Fabulas enim volo tolli, non personam. Audio in Arce Londinensi inter regni vetustas concessionum tabulas atq; monumenta, superesse ad huc vetus scriptum quod Iurisconsulti vocant inspeximus, in quo Arthuri concessionũ mentio est. Quod si Rolandi sui figmẽtis similia Polydorus existimet quæ de Arthuro scribuntur, parum illis tribuet credo historicis, qui Assuerum (quem Latini Xerxen, Chaldei Artaxerxen primum vocant) tradunt conuiuiũ maximis sumptibus & delitijs celebrasse Susis in regia Cyri, ex candido varioq; Lapide

pide ſtructa, columnis aureis ſuffulta, aureis Lacunaribus concamerata, gemmis diſtincta, cœli faciem imitata, micantibus ſtellis radiata, multisq; alijs inſignita, quæ fidem credo apud eum ſuperarent, cũ tamen vſu comperimus principes, terreſtres eſſe Deos, & artis, ſumptuſq; poteſtate poſſe cœlos imitari, & incredibilia quædam humana opera efficere ac præſtare. Quod qui neſcit, foſſam Vandaloru̇, quam vocant Wanſdich, in Wiltonia cõſideret, tumulum quoq; Baronum in mõte Ambrij, & murum pictorum in Britannia boreali animo verſet. Foſſam quoq; Sancti Edmũdi in planitie Nouomercatenſi in Euroanglia contempletur, quæ vaſta & profunda, ad ſex paſſuum millia, vt aiunt, extenditur. Quã quòd demonis arte potius quam humana opera factam vulgus putat, Demonis foſſa vulgus nominat: cum tamen Gul. Malmeſb. lib. de pont. ij. quo loco de monaſterio S. Edmundi ex profeſſo ſermonem facit, a Canuto factam ſcribit, ne monaſterium S. Edmũdi vectigalium exactores »

Foſſa Sancti Edmundi.

E.v. inqui-

» inquietarẽt. Erat enim Canutus, vir bo-
» nus, & religiosissima deuotione cuncta
» ferè Angliæ cœnobia regali munificentia
» veneratus est, & opibus ditauit, vt Gul.
Thornæus in chronicis, anno 1017. au-
thor est. Sed de regibus quid attinet di-
cere, cũ sint apud nos mercatores, qui ma-
iora possunt q̃. M. Crassus apud Roma-
nos, qui neminem diuitem existimabat,
qui exercitum alere nequiuisset: q̃. Xerxes
apud Persas. Nam & mouere montes,
replere conuallia, ædificare turres, palatia
plusquam regalia constituere, hortos, ar-
bores, fructus, flores, lacus deniq; pauci-
lis diebus ponere atq; tollere, regiones quo-
què propemodum acquirere, & vniuer-
sum credo orbem retro referre profusione
nũmi possunt. Quẽadmodũ autem Mo-
nasteriũ à Sigisberto sit fundatũ in villa
Beatrices- regia Anglorũ quæ tunc tẽporis Beatri-
worth. ces worth seu Beodrices curte (vtroq; no-
mine vocabatur) nunc villa S. Edmundi
dicitur, & quemadmodum Canutus post
annos 383. quã sit extructũ, clericos mu-
tauit in Monachos, in epitome chronicon
S. Ed-

S. Edmundi disces. Nam hic cõmemorare non facit ad institutũ, etsi cognitu sit dignissimũ. Quãobrem hæc et Arthurum mitto, ad Lelãdum & Rastellũ te relego, et ad Honoriũ venio. Magnam enim antiquitatem & eius indultum monstrat.

Honorius episcopus seruus seruorũ dei, dilectis filijs doctoribus & scholar. in vniuersitate Cantabrigiæ studẽtibus, salutẽ et Apostolicã benedictionẽ. Dilectissimi in Christo filij, non absq; labore & plurima turbatione didicimus, quomodo multitudine nefanda Paganorum, vniuersitas vestra olim celeberrima vehementer affligitur. Quorum prauitate nonnulli, propriæ salutis immemores, luporum faucibus et vulpina facie libertates & priuilegia, quæ vobis & prædecessoribus in eadem vniuersitate studentibus gratiosè indulsit sedes Apostolica, moliuntur eneruare: Ita quod plures ecclesiarũ præpositi absq; rationis iure minus iustè in vos iurisdictionẽ indebitã & insolitã vsurpãtes, quanq; non consueuerunt hactenus, ad Vniuersitatẽ vestrã accedunt, materiã perturbationis 21. Honorius primus.

turbationis & discordiæ seminantes, correctionis, emendationis aut reformationis ibidẽ officia exercentes cõtra inhibitionẽ sedis Apostolicæ. Volentes igitur vt tenemur iusticia suadente, paci & tranquillitati Vniuersitatis vestræ paterna sollicitudine salubriter prouidere, vbi clemẽtia saluatoris poculum doctrinæ salutaris scientiæ hausimus tunc agentes in minoribus, prædecessorum nostrorum Romanæ eccleſiæ Pontificum Eleutherij, Fabiani, Leonis, Simplicij, Felicis, & Bonifacij vestigijs debitè inhærentes, authoritate omnipotentis Dei districtius inhibemus sub pœna excõmunicationis, quam veniens in cõtrarium ipso facto incurrat, ne quis Archiepiscopus aut eorum officiales, seu visitatores generales aut speciales à sede Apostolica deputati, audeat in aliquem vestrum suspensionis vel excommunicationis, seu interdicti sententias inferre, aut vos seu familiares vestros molestare præsumat, sed Cancellarius cũ rectoribus de consilio saniorum & seniorum vestræ Vniuersitatis secundum statu-

Honorius Cãtabrigiæ studuit.

tuta

tuta vestra corrigere & emendare studeant, charitate semper media, secũdum quod magis expedire videritis. Si quis verò subditorum vestrorum statutis vestris contraire præsumpserit, aut contempserit obseruare, eum ecclesiastica sententia percellatis. Quam scilicet sententiam rationabiliter latam, tam à diœcesano episcopo, quàm ab alijs inconcussam vsq; ad condignam cum humilitate & pœnitentia satisfactionem præcepimus obseruari. Decreuimns etiam quod nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, voluntatis, exemptionis, & libertatis infringere, vel eis aliquatenus contraire. Si quis hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei se nouerit incursurum. Scriptum apud Sanctum Petrum anno ab incarnatione verbi 624. viceſimo die Februarij. Hæc Honorius paulò ante Sigeberti tempora, qui Cantabrigiensem Academiam condidiße creditur secundũ Polydorum, anno salutis 630. secundũ alios, 635. Hic Honorius ille est, qui Honorium

rium Archiepiſcopum Cantuarienſem ab Auguſtino quintum anno dñi 630. inſtituit. In hac Bulla (vt vocant) obſeruandum quoq; & illud eſt, ex aliorum Romanorum Pontificum indultis inſpectis referri, Cantabrigiæ fuiſſe Academiã etiam Eleutherij ætate, qui ſedebat anno domini 184. & eam iam tum olim celeberrimam, anteq; à Danis diſtrueretur. Id ex eo quoq; ſcire licet, quod Vniuerſitatem vocet, q; ad doctores & ſcholaſticos ſcribat. Idem & alij quoq; ſcriptores antiqui quos dudum produximus, prodiderunt, cum vniuerſitatem dicant, cum doctores, magiſtros, Philoſophos, Aſtronomos & Poëtas commemorant, quos ex ea in vniuerſam Europã manaſſe pronuncient. Atq; ita conſtat Vniuerſitatem fuiſſe Cantabrigiæ & Honorij primi ætate, & longè antè, Eleutherij quoq; tẽpore. Eãdem fuiſſe & Sergij primi tempeſtate, ex eius quoq; indulto ſcire licet, quod iam produco. Neq; enim longum eſt, & antiquitatis gratia cognitu eſt iucundum.

Academia fuit Cantabrigiæ Eleutherij tẽporibus.

22. Sergius epiſcopus, ſeruus ſeruorum dei, dilectis

dilectis filijs Doctoribus & Scholaribus vniuersitatis Cantabrigiæ in Anglia studentibus, salutẽ & Apostolicam benedictionem. Quoniã fama bonæ opinionis in doctrina fidei Orthodoxæ vestræ vniuersitatis vbiq; terrarum diffunditur & experti sumus, vt vobis gratiam faciamus, inducimur iusticia suadente. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris pijs & honestis iustisq; postulationibus annuentes, paci & tranquillitati vestræ Vniuersitatis almæ, vbi odor deuotionis cum labore sanctitatis adesse solebat, sollicitè volentes prouidere, præsentium authoritate decreuimus, vt nulli Archiepiscopo seu Episcopo, alij ve ecclessasticæ personæ vel seculari liceat, Vniuersitatem vestram aut aliquem vestrum suspendere seu excommunicare, vel quolibet sub interdicto ponere, absquè summi Pontificis assensu, vel eius mandato speciali. Prohibemus insuper, ne quis priuilegia à sede Apostolica gratiosè concessa vel indulta, ausu temerario infringere seu restringere præsumat vel attemptet. Sergius primus.

Nulli

*Nulli igitur hominũ omnino liceat hanc paginam nostræ concessionis & exemptionis infringere, vel ei quouismodo contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli se nouerit incursurum. Scripta Romæ in Ecclesia Lateranẽsi anno ab incarnatione verbi sexcentesimo octogesimo nono, tertio die mensis Maij. Ex hac concessione, præter nomen & authoritatẽ vniuersitatis, & illud obseruare licet, fuisse ante Sergij tempora, aliorũ R.P. priuilegia Vniuersitati concessa, quæ hic cõfirmat: inter quæ illud est Honorij primi, quod ipsum, etiam Bonifacij, Felicis, Simplicij, Leonis, Fabiani, & Eleutherij diplomatum, gradatim & successione temporum meminit. Iam verò diplomata Ioannis vicesimi secundi, et Bonifacij noni, recentiorum temporum R. P. quid attinet hic commemorare, cum ille tantum nomen, authoritatem, & priuilegia Vniuersitatis bellicis tumultubus & antiquitate attrita & propemodum obolita*

abolita & consũpta supplicationibus Edwardi Angliæ regis eius nominis secundi, reuocando restituit & confirmauit: iste, ne Cancellarius ab vniuersitate electus, ab Elienſi episcopo confirmetur, bonitate sua indulsit: hocq; iste, anno domini 1402. illud ille anno Christi 1316. Quã obrem reuertar ad Cadwalladri superiora tempora, atq; ab Antiquitate omnia repetam, vbi primum ista Honorij et Sergij confirmauerim. Suspicor enim Oxoniensem, tantam antiquitatem habiturum suspectam. Dabo igitur vt veram intelligat. Quod dum facio, spero me cũ tedio legentis non dicturum. Curabo enim vt omnia sint quoad possum breuissima.

Anno igitur salutis 1430. sedẽte Martino eius nominis quinto Romano Pontifice, orta controuersia est inter Elienſem episcopum & Academiam Cantabrigiensem, Ioanne Holbroke Cancellario, de iurisdictione eccleſiastica, quã vt a multis annis authoritate principum & Ro. Pontificum exercuerat Cantabrigienſe Gymnasium; ita Elienſis episcopus ad se iure

Controuersia inter Cantabr. Academiam & Episc. Eliẽsem.

suo pertinere existimabat, quòd Cantabrigia in diœcesi Elienſi conſtituta ſit. Academia autē haud lubenter renuncians conſuetudinibus, quas vetuſtatis priuilegia ac vetera ſtatuta condita, ab authoritate Principum & Romanorū Pontificum pendentia, fecerant, & longus vſus confirmauerat, omnem cauſſam ſupplicibus literis ad Martinum Pontificē Romanum referebat. Ille autem cauſſe neſcius, delegatos ſuos conſtituit Priorem de Barnewel, & Ioannem Deping Canonicum Lincoln. ad definiendā controuerſiam, per literas ſuas ſecundo nonas Iulij anno pōtificatus ſui. xiij. ſcriptas, qui erat annus dñi 1430. Coram his conteſtata lis eſt, conſtituti procuratores (quos nominare nihil attinet, vt nec cæteras cauſſæ circumſtantias apponere, breuitatis cauſſa) prolata indulta Regia & Pontificia (inter quæ iſta Honorij & Sergij erant) producti vſus eccleſiaſtici iuris lōginqui teſtes ſeptem, ex quibus nonnulli ſenes admodū, omnes iureiurando aſtricti ad veritatem, cæteraq; peracta, quæ in

huiuſmodi

huiusmodi caussis iure requiruntur. Trãscripta præterea diplomata pontificia Honorij & Sergij sunt, propter vetustatẽ fermè consumpta, per Rich. Pyghtesley notariũ publicum, in hac caussa scribã authoritate apostolica deputatum, ad futuros vsus Academiæ, propter eorum notoriam vetustatem, vt Scribæ verbis vtar. Postremo, per Delegatos supradictos, authoritate Martini Ponti. Ro. constitutum & definitũ est, vt Academia Cãtabrigiensis ecclesiastico & spirituali, vt prius, iure vteretur: prohibito ne quis Archiepiscopus aut alius ecclesiasticus interturbet, ad sensum Honorij, aut sacrificijs interdicat, ad voluntatem Sergij. Testibus tum alijs, tum Radul. Remington & Rich. Pighteſley notarijs publicis, publicis suis instrumentis seorsum in hoc scriptis, & res gestas cũ suis circũstãtijs confirmantibus. Quam sententiam authoritate Martini latam, scriptã & obsignatã curiosius, Eugenius. iiij. R. P, per literas suas datas Romæ apud S. Laurentiũ in Damaso ãno verbi ĩcarnat. 1433.

decimo quarto cal. Octobris, anno Pontificatus sui tertio, confirmauit. Quas in perpetuam memoriam rei gestæ, & antiquitatis Academiæ, vt mihi graue non fuerit asscribere, ita spero nemini futurum

Eugenius quartus.

legere atq; scire. Eugenius episcopus seruus seruorum dei, ad futuram rei memoriam. Dum attentæ considerationis indagine perscrutamur, quòd per literarũ studia, fauente charismatum cunctorum largitore domino, viri surcrescunt scientijs eruditi, diuini nominis fideiq; catholicæ cultus protenditur, omnisq; prosperitas conditionis adaugetur humanæ, libẽter non solum loca quibus huiusmodi studia vigent, illorumq; supposita gratijs & libertatibus fulcire satagimus, sed etiam illa quæ pro studiorum subsistentia, necnon eorum et suppositorum huiusmodi fauoribus proindè facta comperimus, vt illibata persistant, cum à nobis petitur, apostolicæ confirmationis munimine roboramus. Dudum siquidem ex parte dilectorum filiorum magistrorum doctorum & scholarium Vniuersitatis studij Cantabrigiæ

tabrigiæ Elienſis diœceſis, piæ memoriæ Martino papæ quinto prædeceſſori noſtro expoſito, quòd olim Fælicis recordationis Honorius Papa primus et prædeceſſor noſter, pro incremento & in fauorem doctorum & ſcholarium qui tunc erant & pro tempore forent Vniuerſitatis huiuſmodi, per quaſdam literas ſub dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno ab incarnatione domini ſexcenteſimo viceſimo quarto, die ſeptima Menſis Februarij, inter cætera diſtrictius inhibuerat ſub pœna excommunicationis, quam veniens in contrarium incurreret ipſo facto, Ne quis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Archidiaconus, aut eorum officiarij, in aliquem Doctorũ & ſcholarium eorundem, ſuſpenſionis vel excommunicationis ſeu interdicti ſententias ferre, aut ipſos vel familiares ipſorum moleſtare præſumerent, Sed rector ipſorum doctorum & ſcholarium de conſilio ſeniorum & ſaniorum eiuſdem Vniuerſitatis ſecundum eorum ſtatuta charitate ſemper media corrigere & emendare ſtuderet, prout ſtudentium ſaluti magis vi-

deretur expedire: Ac piæ memoriæ Sergius etiam Papa primus, similiter prædecessor noster, etiam pro incremento & in fauorem huiusmodi per alias suas literas sub dat. in ecclesia Lateranensi anno ab incarnatione verbi sexcentesimo octogesimo nono, die tertia mensis Maij, inter alia decreuerat, q̃ nulli Archiepiscopo vel Episcopo liceret Vniuersitatẽ prædictam, aut aliquem Doctorum aut scholarium eorundem suspendere vel excõmunicare, seu quomodolibet sub interdicto ponere, absq; summi pontificis assensu, vel eius speciali mandato: Quodq; super inhibitione ac decreto necnon Honorij & Sergij prædecessorum superindè confectis literis huiusmodi, quædam ipsius Vniuersitatis antiqua statuta communi consensu & deliberatione matura magistrorum & doctorum prædictorum ad bonum regimen & stabilitatem eiusdem Vniuersitatis ordinata fundabantur, ipsorũq; inhibitionis & decreti et literarum vigore, Cancellarius dictæ Vniuersitatis pro tempore existẽs (qui Subcancellarij denominati-

nationē inibi vicem Rectoris obtinuerat, & tunc obtinebat) omnimodam ſuper corrigendis puniendiſquè exceſſibus ſuppoſitorum ſeu perſonarum eiuſdem Vniuerſitatis, ac cognoſcendis & decidendis cauſſis & negotijs ſuppoſita & perſonas huiuſmodi contigentibus iuriſdictionem eccleſiaſticam & ſpiritualem exercere conſueuerat: Quòdquè de originalibus dictorum Honorij & Sergij prædeceſſorum literis huiuſmodi, ex eo quòd propter diuturnitatem temporis, cum tunc ſeptingenti anni et vltra ab illarum conceſſione defluxerant, aut ex earum cuſtodum negligentia, aut aliàs caſualiter deperditæ vel amiſſæ fuerant, licet plurimæ ipſarum copiæ de antiquiſſima ſcriptura in archiuis eiuſdem vniuerſitatis roconditæ extare noſcerentur, doceri nequiret: Ipſe Martinus prædeceſſor noſter per ſuas literas dilectis filijs Priori Monaſterij de Barnewelle, per Priorem ſoliti gubernari, dictæ Diœceſis, eius proprio nomine non expreſſo, & Ioanni Deping Canonico Lincolnienſi

in eadem diœcesi residenti, cum clausula, quòd si non ambo his exequendis possent interesse, alter ipsorũ ea nihilominus exequeretur, dedit in mandatis, vt eis singularum literarum Honorij et Sergij prædecessorũ singulis copijs huiusmodi in forma publica exhibitis, si & postq̃ ipsis legittimè constaret, magistros doctores & scholares qui pro tempore fuerant, ac vniuersitatem prædictam in pacifica possessione, vel quasi vsus & exercitij ecclesiasticæ spiritualisq̃ iurisdictionis ac obseruationis inhibitionis & decreti huiusmodi à tanto tempore fuisse & esse quòd memoria in contrarium non existeret, eisdem magistris doctoribus & scholaribus obseruantiam inhibitionis & decreti necnõ vsum & exercitium iurisdictionis ecclesiasticæ ac spiritualis huiusmodi authoritate sua approbarent, et etiã confirmarẽt, prout in prædictis ipsius Martini prædecessoris literis plenius cõtinetur. Postmodum verò, sicut exhibita nobis nuper pro parte magistrorum doctorum & scholarium prædictorum petitio continebat, ipse

prior

prior( eodem Ioanne dictarum literarum præfati Martini predeceſſoris executioni intereſſe nequeunte, ſeq3 ſuper hoc legitimè excuſante ) quia per ipſarum copiarum exhibitionem, nec non alia acta actitata & deducta coram eo, ſibi dictos magiſtros doctores ſcholares & Vniuerſitatem à ſupradicto tempore in poſſeſſione huiuſmodi abſq3 perturbatione, moleſtatione, vel inquietatione archiepiſcoporũ, epiſcoporũ, archidiaconorũ, aut aliorũ officialiũ quorũlibet fuiſſe et eſſe legitimè cõſtitit, ipſoſq3 archiepiſcopos, epiſcopos, archidiaconos, & officiales à præfata iuriſdictione ſe totaliter abſtinuiſſe reperit, obſeruantiam inhibitionis et decreti necnon vſum & exercitiũ iuriſdictionis huiuſmodi magiſtris doctoribus & ſcholaribus præfatis vigore dictarum literarum eiuſdem Martini prædeceſſoris ſententialiter approbauit, laudauit, ratificauit, pariter & confirmauit, prout in literis autenticis deſuper confectis latius cognoſcitur contineri. Quare pro parte dictorũ magiſtrorum doctorum et ſcholarium no-

bis fuit humiliter ſupplicatũ, vt approbationi, laudationi, ratificationi & confirmationi prædictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaquè huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, approbationẽ, laudationem, ratificationẽ & confirmationem prædictas, ac quæcũq; indè ſecuta rata habentes & grata, illa Apoſtolica authoritate cõfirmamus, et præſentis ſcripti patrocinio cõmunimus, ſuppletes omnes defectus, ſi qui forſitan interuenerint in eiſdem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis cõmunitionis, & ſuppletionis infrĩgere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attẽptare præſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Laurentium in Damaſo anno incarnationis dominicæ 1433. decimoquarto cal. Octobris Pontificatus noſtri anno tertio.

Atq; hæc quidem de controuerſia inter

ter Elienſem epiſcopum & Academiam Cantabrigienſem in confirmationem diplomatũ Honorij & Sergij. Conſimile quid ſed diſſimili euentu interuenit inter Reuerendiſs. Thomam Arundel Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Oxonienſem Academiam de iure viſitandi, quod Rex Richardus ſecundus decreuit Archiepiſcopo, excuſſa ſibi omni poteſtate, quam Academia tribuit, per literas ſuas patentes Dat. anno regni ſui .xx. Idem & Henricus quartus eidẽ Archiepiſcopo confirmauit anno regni ſui .xiij. et ãno dñi 1411. decreto Parlamenti partim latinè partim gallicè ſcripto, ſublata Bonifacij .viij. bulla, quæ ab omni poteſtate archiepiſcopi Academiam exemerat, quòd conſpicuum erat impetratã fuiſſe in præ- »
iudicium coronæ ſuæ, legũ et conſuetudinũ »
regni ſui eneruationem, et in Hereticorũ, »
Lollardorum, homicidarum & aliorum »
maleficorum fauorem & audaciam, dic- »
tæq; vniuerſitatis veriſimilem ruinam, vt »
decreti verbis vtar, cum hoc vt ſoluat a- »
cademia mille libras dño Regi & ſucceſ- »
ſoribus

Controuerſia inter Archiepiſ. Cantuar. & Oxon. Acad. Ex Archiuis Turris Londinenſis.

ſoribus eius, & omnes interim libertate amitteret, niſi ei qui renitatur archiepiſcopo, ipſa academia reſiſteret, atq; archiepiſcopo omnẽ opem ferat cum viſitatũ venerit. Sed hæc obiter, ſimilitudine fortunæ. Quãobrem confirmata iam Honorij & Sergij diplomatum authoritate reiudicata, reuertor, vt antè ſum pollicitus, ad Cadwalladrũ regem. Etenim & is quoq; in regio ſuo indulto, Cantabrigienſem Academiã à Cantabro conditam, & Lucij regis temporibus fuiſſe Gymnaſium, et id quoq; celebrẽ, commemorat, de quo neminem dubitare exiſtimo. Cadwalladrus diuina fauente gratia Rex totius Britanniæ, omnibus Chriſti fidelibus, tam nobilibus quàm plebeis ſalutem. Notifico vobis me conceſſiſſe Almerico rectori ſcholarium Cantabrigiæ, et ſingulis ſuis ſucceſſoribus legitimè ordinatis, libertates, iura, conſuetudines, et priuilegia ſuper omnes ſcholares moram ibi facientes. Sintq; doctores et ſcholares illius celeberrimæ matris Philoſophiæ ciuitatis Cantabrigiæ à Cantabro ædificatæ, nec-

Cadwalladrus.

23.

non

non à Grantino Comite honorabiliter
murata, ab omni calumnia, inquitatio-
ne & scandalo liberi, sicut hæredes mei
mihi habentur. Eidem insuper Almerico
et eius vicem gerentibus concedo potesta-
tem cognoscendi, tam in ignotis caussis
quàm in notis, in modicis et in magnis.
Et eandem authoritatem puniendi et di-
mittendi habeat, quam mea curia (tan-
tummodo læsæ maiestatis crimine excep-
to) quemadmodum antecessores mei rec-
toribus eiusdem ciuitatis concesserunt, et
statuẽdo confirmarunt, videlicet Lucius,
Asclepiodorus, Constantinus, Uther
Pendragon, Arthurus, et pater meus
Ceadwallus, Britanniæ patris altissimi
gratia reges, qui ciuitatis Cantabrigiæ
habitatores, caussa doctrinæ & sanctita-
tis vitæ honorantes, in reuerentia habue-
runt et amore, cum ex illa ciuitate præci-
puè processerunt Philosophantes et scien-
tiæ amatores totius Europæ. Quocirca
omnipotentis Dei patris & filij & spiri-
tus sancti authoritate, & perpetuæ virgi-
nis prohibeo, & vniuersis regni mei, cæ-
tera-

Reges indul-
gentes Can-
tabrigiæ.

terarumq; gentium in circuitu persistentium præpositis & primatibus præcipio, ut nullus rectorẽ ciuitatis prædictæ, seu scholarem cuiuscunq; facultatis in eadem perturbare aut inquietare audeat, sed omnes pariter & singuli Pontifices, reguli, & Principes, respectu scholarium ac eisdem seruientium, tam in sæcularibus quam ecclesiasticis caussis p̃dicti rectoris iudiciũ expectent, sicuti prædecessores nostri sanxiuerunt. Si quis autem quouismodo deinceps sub aliqua occasione interrumpere seu irritũ facere huiusmodi priuilegij testimonium nisus fuerit, à consortio pietatis vltimi examinis vẽti labro dispartitus sit. Datũ Cantabrigiæ anno ab incarnatione domini 685. Hactenus Cadwalladrus: recordatus obiter priuilegiorum, quæ Lucius rex, Eleutherio Ro. Pontifici coætaneus, & aliquot alij Principes Cantabrigiensi Academiæ indulserũt. Ex quo scire licet, etiam antè Lucij tempora fuisse Academiam, et longè antè Sigeberti regnum. Nam dixi Eleutherium sedisse anno à Christo nato 184. Lucium anno 180 reg-

regnasse: Sigebertum autem anno 630. etsi variatum tempus sit prout hunc aut illum authorem isti habuerunt, vt alio loco explicuimus.

Præter hos omnes, in peruetustis Annalibus Burtonẽsibus sic lego. Anno dñi 141. Hìc baptisati sunt nouem ex doctoribus & scholaribus Cantabrigiæ. Undè scire licet fuisse Gymnasium Cantabrigiæ antè Lucij tempora, & receptum Euangelium antè Lucij regnum, etsi non publicè. Quod si cui dubium sit, eum Polydorus certiorem faciet. Is enim Angl. Hist. li. j. & .ij. (vt dixi) ex Gilda testis est, Britannos iam indè ab ortu Euangelij christianam recepisse religionẽ Authore Iosepho ab Arimathia. Idem ait & Gul. Malmesb. libro quem scripsit de antiquitate Glastonienſis monasterij. Is enim tradit Philippum Apostolum ad fidẽ conuertendi & baptisandi caussa francos adijsse, & indè duodecim ex suis discipulis selectos, præfecto Iosepho ab Arimathia charissimo suo amico, & nobili Decurione q̃ Christũ sepeliuit, verbi dei dila-

24.

Religio christiana in Britannia, ab Apostolorum tempore.

dilatandi gratia in Britanniam missse anno verbi incarnati 63. & Assumptionis beatæ Mariæ 15. Idem & Freculfus in Chronici sui libro secundo scribit. Nicephorus tamen Callistus ecclesiast. hist. libro .ij. scribit Simonem Zelotem Britannos ad Christum conuertisse. Vtcunquè est, hoc constat, ab Apostolorum tempore fidem christianam in Britannia receptam atq; cultam, etiam inter sæuissimas Romanorum procellas, quibus victi, etsi diys sacrificare publicè cogerentur, priuatim tamen non discedebant ab officio christiano. Susceptã iam olim fidem & ipsi Britanni contestati sunt in historia sua Britannica peruetusta, quã eius libri author Brutum nominat. In cuius capite .xcviij. refertur Britannos Augustino secundo sic respondisse: se Carlionensi Archiepiscopo obedire voluisse, Augustino autẽ Romano Legato omnino noluisse: nec Anglis inimicis & paulò antè Paganis, à quibus suis sedibus pulsi erant, subesse se qui semper christiani fuerant voluisse. Hactenus Brutus. Quẽ

alius

alius vetustus scriptor secutus, in abstractis addit, ab incarnatione Christi: vt legendum sit, qui semper Christiani fuerant ab incarnatione Christi. Eandē historiam refert et Graius in Scala chronica: & Gocelinus vetus scriptor (quem Baleus Gotcelinum vocat) in hist. maiori in vita S. Augustini cap. xxxj. & in historia minori cap. xxiiij. Gocelinum dico, non eum qui Episcopus erat Parisiensis, de quo in Chronicis Reginonis de origine gentis & Regum Francorum libro secūdo, & anno 887. nec qui Wellensis Canonicus fuit, de quo Thomas Wiccius in historia monast. beatæ Mariæ de Meritona facit mētionē, sed Gallū illū apud diuū Augustī. Cantuariæ Monachū, ab Anselmo in Angliam vocatum, qui de vitis Patrum multa scripsit: præcipuè verò Diui Augustini. Hanc de Britānis historiā idcirco refero, quòd semper se christianos fuisse glorientur. Quod etiam verum esse ex historico peruetusto de primo statu Landauensis ecclesiæ deprehendo: in quo lego Eluanum & Meduuinum legatos

Eluanus. Lucij ad Eleutherium duodecimum, fu-
Meduuinus. isse viros eloquentia disertos, & sacris
scripturis eruditos. Quod esse certè ne-
quibat, nisi prius fuissent bonæ literæ, &
christiana fides in Britannia. Fuisse autē
antè Lucium annis 103. Guliel. Mal-
mesb. libro de antiquitate Glastoniensis
,, ecclesiæ docet hisce verbis. Fluxerunt ab
,, aduentu discipulorum Sancti Philippi in
,, Britanniam vsquè ad aduentum Phaga-
,, ni & Deruuiani 103. anni. Quos omnes
sciunt ab Eleutherio missos ad Luciū re-
gem. Verum in maiorem religionis anti-
quæ fidem, verba historiæ de primo statu
,, Landauensis ecclesiæ refram. Anno ab
,, incarnatione domini centesimo quinqua-
,, gesimo sexto, Lucius Britannorum Rex
,, ad Eleutherium duodecimum, Aposto-
,, licæ sedis Papam, Legatos suos Eluanum
,, & Meduuinum misit, implorans vt
,, iuxta eius ammonitionem Christianus
,, fieret: quod ab eo impetrauit. Nam
,, gratias agens Deo suo quòd illa gens qua
Brutus. ,, à primo regionis inhabitatore Bruto gen-
,, tilis fuerat, tam ardenter ad fidē Christi

festi-

festimabat, consilio seniorum vrbis Romæ placuit, eosdem legatos baptisari, et catholica fide susceptа, ordinari Eluanũ in Episcopum, Meduuinum autem in Doctorem. Et propter eloquentiam & scientiam quam in sacris habebant scripturis, prædicatores ad Luciũ in Britanniã reuersi sunt. Quorum sancta prædicatione Lucius & totius Britanniæ primates baptismum susceperunt, et secundum iussum Beati Eleutherij Papæ ecclesiasticũ ordinem instituit, episcopos ordinauit, & benè viuendi normam docuit. Quam christianæ religionis fidẽ sine aliqua praui dogmatis macula synceram conseruauerunt, vsq; dum Pelagiana hæresis orta est. Hæc vetus historia. Fuisse autem Eluanum & Meduuinum Cantabrigiensis studij Alumnos ex hoc conijcio, q; Arthurus in diplomate Cantabrigiensi Academiæ concesso scribat, prædicatione doctorum Cantabrigiæ Lucium Christianitatem amplexum esse. Sed quid ista anxius persequor. Certè vt confirmem quæ de Doctoribus & scholasticis

Legati Lucij, Cantabrigienses.

Cantabrigiensibus anno Christi 141. baptisatis, Annales Burtonenses predicant.

25. Redeo igitur ad argumenta Cantabrigiensem antiquitatem contestantia: inter quæ illud est ex Genealogico anonymo peruetusto scripto de gestis Anglorum (cuius initium est non solum audiendæ scripturæ sacræ &c.) in quo vbi de Guthelino & vxore eius Marcia mentio est, sic scribitur antiqua litera, causa admonendi lectorem: »» Tempore Guthelini »» erat vniuersitas in Anglia, vt per eruditionem in artibus Martiæ. Eam fuisse Cantabrigiæ ex hoc scire licet, quòd Cantabrigia Guthelini regia fuit, & prima vrbs totius Angliæ orientalis: in qua tres fuisse hominum ordines, scholasticos, ciues, & athletas, Marciamq; remansisse à Mariti morte literarum studiosa inter Philosophos, cum leges Marcianas tulerit, alio forsan loco dicã fusius. Postremũ
26. est: Extare ex Archiuis Wigornienſibus annales peruetustos, & non paruæ authoritatis, quos ob id magnos annales vocant,

cant, in quibus anno mũdi 3868. sic scribitur. Cantabrigia mater peritorũ in Britãnia, ædificatur à Cantabro duce, & frequentatur à Philosophis antè Christi incarnat. per ãnos 394. Hæc quidem illi. Cui rei fidem facit & Dolensis libro suo de laudibus Britonum cap. xix. & Girardus Cornubiensis de gestis Anglorum libro sexto capite. xiij: & Florentius in Florario historiarum libro octauo, cap. x. ne quid dubites de fide Annaliũ. Quod vnum testimonium tot probatorum historicorum suffragijs comprobatum, sufficere potuisset & omnium loco esse, nisi si cui volenti & scienti contra verum niti ex professo libeat.

Hæc ad faciendam fidem antiquitati Cantabrigiensi si sufficiant, nihil est quod apponam amplius. Sin minus, addam communem opinionem, cui etiam iura cedunt. Apud omnes enim receptum est & confirmatum, Cantabrigiensem Academiam antiquiorem esse Oxoniẽsi, quòd tu quoq; astruis, qui receptum errorem dicis. Cui opinioni communi atq; famæ 27.

standum esse, author est Titus Livius (ut alio loco diximus) vbi certæ fidei deroget vetustas, multo sanè magis vbi non deroget, vti hic vsu venit.

En tibi ergo (ô Oxonienſis) ſcriptorum inſtructam aciem cõſpirantium atq; adeo pugnantium contra te: en veteranos milites omnis gentis, ne ſolus Orator cum nigro ſuo codice in acie inueniatur (vt tu ais) qui belli impetum ſuſtineat, neue admirabilis conſentientium multitudo (quod tu per eironiam dicis) ad miram paucitatem redigatur: néne posthac mireris, cur ex tam multis quos in genere citat Orator (vt affirmas) nullum præter domeſticam hiſtoriam produxerit. Vtor verbis tuis. En duces exercitus, Reges & Pontifices. Dico autem milites variæ gentis & eas veteranos, ſcriptores varios, plurimum antiquos, alios recentes quidem, valentes tamen, quoſdam etiam tuos & ſuperiorum et præſentium temporum. Duces voco, Arthurum & Cadwalladrum Britannorum reges, Honorium atq; Sergium Pontifices Ro-

*Ro. En viginti ſeptem & amplius, integrum iuſtumq; grandium inquiſitorum numerum (Iuriſconſultorũ more loquor) pro vno illo quem ſolũ petis in conſenſum antiquitatis Cantabrigienſis Academiæ. Vides quanta Amphora ex tuo vrſeolo præter opinionẽ tuam. An nõ hæc credibilia exiſtimas, quò Academiæ tuæ iuuentam, et illatam illi iniuriam de prærepta antiquitate (vt ais) æquius feras? an hæc debilia antiquitatis fundamenta putas? His ſi fidem adhibes, rectè facis, atq; vt decet doctum & æquum virum. Sin minus, ſed tuo more dicis, non referre tua quàm multis premaris teſtibus, dummodo veritas à te ſteterit, primò quis homo prudens à te veritatẽ ſtare arbitrabitur, qui hæc legerit? tantum ſcriptorum probatorum numerum conſentientem viderit? & tuum, dummodo, ritè expenderit. Tum quis non impudentem iudicabit ſi refrageris? inſanum, ſi tanto exercitui imbellis Propugnator (quod tuis verbis dico Oxonienſis) te oppoſueris, numerum negligens vt ſolet Lupus?*

Ius diuinum duos aut tres in testimoniũ productos sufficere putat : ius ciuile et canonicum duos : ius item regni nostri municipale duos, nisi in damnationibus, vitæ necisq3 iudicijs, in quibus duodecim recipit : Et tu cum vigintiseptem & vltra probatæ fidei scriptores (præter Gildam, Dolensem, Girardum, Florentium, & aliquot alios) in testimonium Antiquitatis Cantabrigiensis Academiæ produxerim, Reges etiã atq3 Pontifices, non tamen fidem adhibebis? Hoc si feceris, credemus omnes, atq3 etiam certò intelligemus, secuturum te consilium scelere damnandorum, qui quod damnationem metuant, etiam Atticæ probatissimæq3 fidei testes, atq3 adeo Amphictiones ipsos, & æquissimi animi inquisitores sæpissimè respuunt, causantes aut inimicitias, aut odia, aut id genus alios non synceros affectus. Ad hæc expende antiqua initia & Vrbis & Academiæ eodem tempore, cuius caussa ciuitas scholarium dicebatur, quòd eius gratia condita sit. Expende vtriusq3 authorẽ Cantabrum pro-

prio

prio nomine, non patriæ appellatione, non Partholomi, quo vocabulo re vera appellandum, tu tamẽ non rectè colligis. Hunc inquam expende, non Sigebertum: quem tot historici non præteryssent, si conditor eius (ac non reparator potius) extitisset. Quem Cantabrum si tot scriptores Cantabrigiensis Gymnasij authorem faciant, cur omnes quotquot hanc præsentem attigere historiam, eadem dinarrare dicis quæ incertus author, quæ Monemutensis & hist. regia? cur nullum Oratori suffragari ais? cur omnes tam aduersari q̃ qui maximè scribis? Imo si quis volet legere quos commemorasti scriptores, non modo non esse verissima quæ dicis comperiet, sed contra falsissima, si ita liceret per gratiam tuam dicere. En dignitatem loci. En Cantabrigiæ mœnia atq; turres. En inter precipuas recensitam vrbes, Oxonia excluſa & nullo loco habita: En quæ in defensionem epistolæ suæ, in confirmationem antiquitatis Cantabrigiæ Antiquarius proferre posset si vellet: vti in epistola sua se potuisse per controuersias

dixit. En quæ desyderio tuo satisfacere
possent si liberet, & quæ te multo tempe-
ratiorem fecissent si præscisses; si histori-
cos diligenter euoluisses, quod certè doc-
tum virum decuisset, ne quid temerè se-
nex effutiret: maximè cum ad tantam
principem libellum instituerat, cuius ma-
Reuerentia. iestatem alij vsquè adeò suspexere, vt in
oratione non aliter ac clarus Orator De-
mosthenes, muti planè & elingues facti
sunt: vt solet verecundia silentium im-
perare. Alij adeo sunt reueriti, vt ne
vocem quidem attollere, aut memoriæ
constare potuerunt: alij pauidi & tre-
mentes allocuti. Sed & eum in docto vi-
ro decorem et decentiam tu quoq; vt vir-
tutem alicubi in commentarijs laudas,
dum grauitatem et modestiam bonarum
literarum professores decere dicis, viden
meliora probansq;, deteriora tamen se-
quens. En rursus Gurguntij tempora:
en Cantabri aduentus occasionem dome-
sticum tumultum, quam expressit orator,
etsi tu id alto silentio prætermissum crimi
neris, ac nimiam incolarum multitudi-

nem,

nem in occasionis causßam tua coniectura
ſuffulcis, atq; ita cum leporem habeas,
pulpamentum quæris. En ciuitatis nomi-
na, Cairgrantum, Granteceſtriam, Grã-
tebrigiam, & Cantabrigiam: à Canta-
bro, Grantino Conſule, & Granta ſeu
Canta fluuio deſumpta nomina, & prout
vſus voluit hoc aut illo tempore, hoc aut
illo nomine recepto et comprobato. Quod
non magis abſurdum videtur, q̃ ſi Lon- Londinum.
dinum à primo conditore in memoriã ve-
teris Troiæ, Trinouantum, ſeu Troiam
nouam appellatũ, à Lud, qui nouis ædifi-
cijs, muris, turribus, portis, atq; pontibus
inclinantem iam vetuſtate et conquaßa-
tam bellis vrbem refecit (vt Henr. Hun-
tud. de geſtis Britonum libro octauo au-
thor eſt) Caerlunden diceretur: ac poſtea
vſu deriuante, & molli ſuauiq; ſermone
delectato, Lundonia, Lindonia (vt Mar-
tian. atq; Stephã. περὶ πολεῶν ſcribunt)
& Londinũ nominetur. Quid enim non
facit vetuſtas in nominibus cõmutandis?
An non Vindobõnã (quã Anton. in Iti-
nerario Vindobonã vocat) primũ Viennæ
nomen,

nomen, in Fabianam, Bianam, Bienn
& Viennam tandem commutauit? a
non Euerwicke in Eueracum & Ebora
cum: Stadford in Stafforde: Lindecol
lin in Lincolne: Kynnebantum in Kyn
balton & Kymboltun loquendi vsu ver
sa sunt: authore Rogero Houedeno in
Annalibus in vita Henrici secundi? ut
inter multa pauca enumerem. Quamob
rem non est cur dicas à Granta nomen
habuisse solũ Cantabrigiã, & non à Can
tabro, quantumuis id Lelandus astruat.

Temporum discrepantia.

Et quanquam inter Scriptores de anno
rum numero controuersia est: princip
tamen atq; re reiq; antiquitate conueni
unt omnes. Quod autẽ tempore non cõ
ueniant, in caussa esse puto variam secun
dum varios authores annorũ mundi sup
putationem, vt Eusebij, Martini, Orosij,
Bibliorum, septuaginta interpretum, Be
dæ, Dionisij, & Iudeorum, variamque
scribarum oscitantiam & errorem, in
quem, quòd sæpius eadem fundunt & re
fundunt, necessum est vt sæpius inci
dant: maximè autem in numeris. Nec

dissi-

dissimilis discordia temporum est apud alios historicos alijs de rebus & personis, nisi vbi multi vnum consequuntur, vt solent Dodonæi lebetes, quod hìc non esse factum varietas temporum docet. Nec aliud expectandum est in antiquitatibus longè à scriptorum memoria remotis. Id quod ex Lucio rege Britãniæ (quæ omniũ Prouinciarum prima publicitus Christi nomen recepit, authore Sabellico libr.v. Enneadis.vij.) scire licet. Nã Beda eccl. hist. lib.j.cap.iiij. ait fidem recepisse Lucium anno ab incarnatione domini 156. Chronicon vetus Lãdauẽsis ecclesiæ 156. Gocelinus in vita S. Augustini ca.xxxj. historiæ maioris 156. & chronicon vetus Anglicum vocatum Brutus, 156. in quo anno Galfr. Monem. lib.ij.cap.ij. Luciũ è vita migrasse scribit, & in Claudiocestria sepultũ ait. Quod cũ ipsissimis Galfr. verbis, tanq̃ ab eo fonte natis, in historia maiori extulit Mattheus Parisius, annis tamen variat, & 201. annis è vita migrasse Lucium scribit. Vt et genealogicon de gestis Anglorum, Luciũ obijsse anno

regni

regni sui quadragesimo tertio cum tamen alij scribant eum regnasse annos tantum duodecim. Ioannes Nauclerus voluminis primi generatione tricesima, Lucium obyisse tradit anno 156. etsi alij anno 170. quod & ipse eodẽ loco aduertit. Idem tamen volumine secundo generatione septima, ex authoritate historiæ S. Timothei Apostoli, & S. Lucij, quæ est in ecclesia Curiensi, vbi Episcopus fuit et Martyr, Lucium Britanniæ regem cum tota Britannia à Timotheo Apostolo qui in Britanniam venerat fidem recepisse scribit. At in historia Saxonica Peterburgensi traditum est, Lucium scripsisse ad Eleutherium anno à natiuitate christi 167. in antiquo verò codice Bruto etiam nominato (vbi inter leges S. Edwardi ponitur epistola Eleutherij ad Lucium) à passione Christi anno 169. In historia Roffensi itẽ, centesimo octuagesimo quinto, in alijs, centesimo septuagesimo sexto. In Nennio antiquissimo historico lego Lucium misisse nuncios ad Euaristũ (qui erat quartus à Petro) anno 164. de Eleutherio nulla

la facta mentione. Et in Mariano Scoto ano 177. Lucium dediſſe literas ad Eleutherium, qui anno decimoſexto imperij Antonini Veri (vt ex Methodio refert) Papa fuit duodecimus. Martinus quoq; Polonus anno 188. Eleutherium ſcripſiſſe ad Lucium ait, ſediſſe autē annis quindecim, menſibus ſex, diebus. v. Georgius Lilius in volumine ſuo Lucium petiſſe baptiſmum refert anno 181. Lanquetus Lucium regnare cæpiſſe tradit anno 180. & anno regni ſui octauo, circiter annum domini 187. miſiſſe ad Eleutherium. Polydorus quoq; ait anno 182. & regni Lucij decimotertio Eleutherium miſiſſe fugatium & Damianum ad Luciū in Britanniam. Baleus tamen ſcribit Lucium anno Chriſti 179. (vt Annales veriores vt ipſe ait commemorant) miſiſſe Eluanū & Meduuinum ad Eleutherium. Atq; ita de tempore Lucij & Eleutherij variatum eſt. De ſede verò Eleutherij ſic diſcrepant authores, vt Bibliander Eleutherium fuiſſe dicat duodecimum, & ſediſſe annis quindecim, anno chriſti 130.

Pantha-

Panthaleon Eleutheriũ extitisse decimũ tertium episcopum, & anno 177. rexisse Ro. ecclesiam. Citat Ireneum li. iij. ca. iij. Eusebium lib. v. ca. vj. Volateranum & Sabellicum: qui li. v. Enneadis septime, scribit quoquè Eleutherium fuisse ordine decimũ tertium. Quanq̃ Ireneus in sua computatione alium obseruat ordinem in catalogo horum. xij. episcoporum, quàm cæteri omnes historici. Nam post Petrũ dicit sedisse Linum omisso Cleto, & post Anacletum enumerat Clementem. Chronica Chronicarum ait anno christi 184. Eleutheriũ sedisse, idq́ annis quindecim, mensibus tribus, diebus tribus. Fasciculus temporum anno dñi 184. & sedisse annis quindecim, mensibus sex, diebus sex. Onuphrius anno 171. et numero facit decimumquartum, & vixisse sub Aurelio Antonino & Aurelio Commodo, & sedit annis quindecim, diebus. xiij. Infinita huius generis alia sunt, si quis prolixior iusto esse studeat. Ego paucis contentus ne tedio sim Lectori, volo ex his ostendere, quàm non benè conueniant inter

ter se scriptores, & tamen propter temporum varietatem, neq; de fide rerum neq; personarum quicquam dubitandum, sed componenda magis omnia esse, vt ex collatione eluceſcat, vbi maior ratio, authoritas, & probabilitas subsint, in quibus conquiescas. Nam etiam in hac controuersia certum est Lucium & Eleutheriũ fuisse συνχρονοὺς & cum Antonino Vero & Aurelio Cõmodo Cωνδιχοὺς: atq; id etiam, consensu maiori scriptorum, Eleutherium fuisse à Petro duodecimum. Hos tamen vt cõmodè reconcilias, in vsu esse possit author ille (arbitror) qui per Alphabetum scripsit Chronicantiũ (vt vocant) concordantias, sine quibus non nisi magnis difficultatibus & inextricabilibus carnificinis te expedies. Hæc eo pertinent, vt quemadmodum Lucius & Eleutherius fuere coætanei, ita & Cantaber & Gurguntius fuere contemporanei: qui quo tempore fuerit etsi inter authores discordia est, certum id tamen est, à multis sæculis vtriũq; fuisse, et eo tempore p Cantabrum fuisse extructam Cantabrigiẽsem.

Academiam.

Tu tamen contra contẽdis, atq; etiam pugnas multis argumentis, quæ deinceps cõmemorabo, & primo calamitosi. Pergis enim atrocibus verbis, vt soles homo gratiarum plenus, eiecticij, extorris, profugi, exulis, calamitosi, bonum hospitem atq; nobilem premere et insectari, Dionisij Siculi Tyranni conditionem obijcere, viuendi causſa literas profiteri, et quo minus Cantabrigiam extruat, inopiã causſari, atq; in hoc Oratorem testem adducere. In quo certè parum facis ingenuè. Etenim si dicat orator domestico tumultu patria eiectum Cantabrum, non dicit tamen fuisse calamitosum atque inopem. Imo neq; vllo modo consequi, nisi Partholomum Hiberniæ regem, & fortunæ socium, inopem quoq; statuas atq; miserũ. Sed istud de Oratore figmentum, ferendum quidem. Illud verò inhumanũ, malis verbis eum persequi, qui benè nobis fecerit, & bono hospiti malas gratias agere, cum bonas ob egregia facta mereatur. Eadem opera et Brutum generis nostri au-

Cantaber fuit Author Cantabrigiensis Academiæ.

thorem

thorem contemnes, & Antenora ſuum Veneti atq; Patauini condemnabunt. Eadem ratione ſpreueris etiam Brennum noſtrum, Bellini regis noſtri fratrem, cui licet eiectitius non fuerit, fortunæ tamen caſum & euentum temporum aliena regione experiri libuit : quæ ea ſemper fuerit, vt pauculis Britannis, mixtis aliquot Gallis Neuſtricis, etiam Romam ſubiugauerit. Quod ſi maiori oſtẽtatione dictum putes quàm veritate, Hiſtoriis crede, & Conſtantinum Magnum natione Britannum, Britanno Milite vniuerſam penè Europam deuiciſſe recordare, quòd ſane magna authoritate Roſſenſis hiſtoriæ iam referimus. Quanta autem virtute atq; animo Richardus eius nominis primus, Saracenos atq; Turcas debellarit in expeditione Hieroſolymitana, atq; etiam Gallos rebelles in reditu ſuis Britannis domuerit, Fulcherus Carnotenſis docet in Itinerario de expeditione Chriſtianorũ contra Paganos qui erant Hieroſolymis. Cuius inter alia, hos antiquos dũtaxat verſus cõmemorabo de Richardo.

Conſtantinus.

Richardus primus.

*Cuius iter, greſſus, obſtacula nulla retardant,*
*Non ſtrepitus, non ira maris, non vallis, abyſſus,*
*Non iuga, non celſi præceps audatia montis,*
*Aſperitaſq́ viæ Saxis calloſa, non ipſa*
*Limitis ambages, deſertaquè neſcia greſſus,*
*Non rabies venti, non imbribus ebria nubes,*
*Non tonitrus horrenda lues, non nubilus aër,*
*Quin experiretur quid Siculi, quid Ciprus, quid Saladinus, quidq́ gens pagana poſſet in armis. Quin & vos quoq́ Aluredum veſtrum, quem Sanctus Neotus vagum & profugum apud Capgrauium,* Aluredus.
*Ailredus Rieuallenſis ingloriũ, et Sanctus Cuthbertus apud Gulielmum Malmeſb. extorrem vocat recuſabitis. Referam verba ſanctiſſimi viri ex iij. de pont. ne videar quicquam comminiſci. Capgrauiũ iam olim impreſſum legat qui volet, vt & Ailredum. Tu quoq́ (inquit)*

tam

tam miſerabiliter regno extorris, glorioſe »
poſt paucum tempus reponeris. Quem »
tamen Aluredum ob id non contemnam,
quemadmodum nec Appollinem, q̃ aliquãdo apud Admetum Pheræorũ regem Æſculapij filij ſui cauſa exulabat. Quid multis, cætera quoq́ gens Italica ſuũ Æneam atq́ Siluium, et Gallica ſuũ Francionem pari modo ſpernent. Nam et Galli quoq́ ex Troianis ſe propagatos eſſe magnopere exultant. Quos tamen vſq́ adeò non ſpreuerunt, neq́ eiectitios aut profugos nominarunt, vt ex hoſpitum gloria ſe profulgere exiſtiment, & nominis famam hiſtorijs celebrent. Quod quis neſcit, Titum Liuium, Criſpum Saluſtium, Antonium Sabellicum, Ioan. Zonaram, & Epitomen Chron. regum Galliæ à Pharamondo ad Carolum nonum (quã ex Annal. Gaguini & Pauli Æmilij præcipuè collectam excudit Guli. Niger) inter alios legat. Neq́ certè calamitoſus eſſe potuit Cantaber, qui genere Nobilis ſocerum regem in Anglia (cuius liberalitatem cum filia vxore ſenſerat, vt

Brutus Pandracis Græcorum regis munificentiam fortuna persimili, Æneásque Latini) & fratrẽ quoq; regem in Hibernia habuit, bonísq; literis (quæ maxima fælicitatis pars est) claruit: vt neq; mirãdum sit vndè tantam Academiam iste fecerat, cum & Brutus hospes hic maiorẽ Trinouantum Vrbem, & Brennus in Italia hospes, multas ibi vrbes condidit et refecit, inter quas Mediolanum est, Verona, Mantua, Brixia, Vincentia, Sena, Papia, Comum, & Cremona, vti & ipsi Italici scriptores prodiderunt, & Fabianus noster secunda parte, & Ranulphus libro tertio manifestè referunt. Gathelus quoq; Cecropis primi Athenarum regis filius, in Hispania haud dispari fortuna hospes, Braccaram (quæ sedes Archiepiscopalis est) & Brigantium vrbem (quæ hodiè compostella dicitur) non longè inter se distantes extruxit. Quibus vt fælicitate par fuit Cantaber (quem alij scriptores regem, alij ducem, alij regis Hispaniæ filium dicunt) ita literarum virtute superior extitit. Quæ res vt ad res gerendas

Bracchara.

Brigantium.

das magnum est in vita compendium, ita his quos antè fortuna erexerat ad gloriã si ceciderint, securum est refugiũ. Vt Dionisio tuo fuit, quem vt calamitosum Cãtabro obijcis. Quem tamen ne infimi aut afflicti hominis sorte viueret, né ue calamitosus esse posset, virtus effecit, & cum fortunæ culpa regno Rex esse amplius non potuit, virtutis gloria inter suos Rex esse non desijt, et eo loco artium professione claruit, quo cuiuis non facilè contingit peruenire: quamuis stultũ vulgus qui Philosophiam nescit, et tu quoq; qui lõgè à vulgo sentire debes propter eruditionem (si eam ad Reip. vsum et non ad contentionẽ conferre velles) id regnum vt ingloriũ repudiatis. Certè sapientibus viris hæc semper stetit sententia, Literas tutissimas esse diuitias, vt quæ nec tolli possunt, nec grauãt circumferentẽ: atq; in prosperis ornamẽto esse, in aduersis refugio, sed nemini mortaliũ opprobrio. Vnicũ pfugiũ doctrina et litera (inquit Ci. ad Bal.) quibus semper vsi sumus: quæ secũdis rebus delectationẽ modo habere videbãtur, nũc verò etiã salutẽ.

Corinthi.

Literæ vtiles, delectabiles, & salutares.

Cicero in epist. ad Balbum.

*In quo tu quidem longè à ſapientibus diſſentire videris, qui principis & generoſi animi non eſſe cenſes virtutes colere, & literas profiteri (nam hoc abiectorum eſſe iudicas) ſed venationem magis atq; aleam ſectari (quam tamen vt damnationis pœnam Æacus Claudio imperauit) ſpretis illis & contemptis, hoc glorioſum exiſtimare ex eo iudicaris. Conſtantinus Ducas eruditos viros mirabiliter coluit, dicere ſolitus, malle ſe eruditione q̃ imperio nobilitari: cum Platone ſentiens præclaris literis excelluiſſe, veræ nobilitatis eſſe: quæ ſplendor quidã eſt ex ipſa virtute natus, vt volunt Stoici. Tu contra, imperio magis quàm eruditione florere malis. Scipio item Africanus, homo bellator, ſecundo bello Punico Terentium illũ Aphrum atq; comicum captiuum, literarum cauſſa, quas honorabat, inter nobiles captiuos poſuit, vinculis exolutũ libertate donauit, in triumpho poſt Currum conſtituit, & pileo contectum in literarum honorem et libertatis ſignum ſequi voluit, vt Oroſius & Quintilianus.*

Literarum fautores.

Terentius.

in

in declam. pro gladiatore, & Io. Nauclerus in generatione. lix. referunt: & tu qui literas profiteris literas contemnis? Lego in peruetusto quodam libro manuscripto de actibus Alexandri, Diomedi Philosopho Alexandrum respondisse, se antè optasse Homeri discipulum esse quàm Achillis, cum Diomedes dixerit se maiores laudes de rebus gestis Alexandri potuisse scribere, quàm Homerus de Græcorũ & Troianorum actibus. At tu inaurari magis optas (vt videris) cum Mida aut Cræso, aut etiam Carolo Magno; cui immensam vim auri ex Hispania allatã; Turpinus Remensis in hist. Caroli Magni scribit: pro thesauro scilicet carbones. Eodẽ pertinet, quòd Merchiaunus Glatmorgantiæ rex, vsqueadeo honorabat bonas artes, vt Eltuto ita dixerit: vestrum Gymnasium erit venerabile: tributarij tibi seruient, & omnes indigenæ. Tu contra, vt literæ omnibus seruiant cupis, cætera imperent: quod nunq̃ consequeris. Nam literæ semper imperarunt et semper imperabunt: cætera seruient. Verũ quia

Alexandri responsum

Nobiles, literarũ cultores.

tu calamitosi esse putas literas profiteri, dic quæso te quid in Carolo Magno, quid in Claudio Cæsare calamitatis fuit, quòd ille Germanicæ Linguæ Grãmaticam cõmentus est, mensibus atq; ventis noua nomina indidit? Iste vsque adeò græcis literis excelluerit, vt tres nouas literas illi linguæ sua industria adiecerit. Quid in Pertinace imperatore, qui Grammaticã docuit? quid in Iulio Cæsare qui Commentarios ædidit? Quid in Ptolomæo qui orbem terrarum tabulis circumscripsit? Quid in Conditore vestro Aluredo, quòd Bedæ historiam gentis Anglorum: Seuerini Boëtij Philosophiæ cõsolationem, & Orosium Hispanum historicum insignem, in Saxonicam Linguã authore Gul. Malmes. traduxerit? Quid q̃ nouum & vetus testamentum in Anglicam linguam transfuderit? vt in hist. Elienſi libro primo sub fine scribitur, cuius initium est: Cum animaduerterem excellentiam Elienſis insulæ &c. Nam authoris nomen non gerit liber. Quid in eodem Aluredo, quòd legem Martianam

nam inter cæteras in eundem sermonem transtulerit? vt & Galfr. Monem. lib. j. & Genealogia Principum in linea Monarchiæ Britonum, qua de Martia sermo est, & Ranulphus libro sexto cõtestẽtur. Imo quid in eodem ipso Aluredo, q̃ pueros docuit, scribente Asserio libro suo de actis Alphredi, anno 885. Filios quoq; eorum (inquit) qui in regali familia nutriebantur, non minus proprijs diligens, omnibus bonis moribus instituere, & literis imbuere solus die noctúq; inter cætera non desinebat. Quo quidem docendi munere cum sit perfunctus Aluredus, nec tamen apud Cantabrigiensiũ aliquẽ Dionisij Siculi Tiranni, aut Ludimagistri nomen obtinuerit: quæ Cantabri infælicitas est, vt quod Alphredo glorioſum sit ad nominis famã, et ad omnem æternitatẽ illustre, id illi ad inuidiam apud Oxoniẽsem, & luctuosam sortẽ facere videatur? Diuus August. quoq; Mediolani Rhetoricã docuit authore Prospero Reginẽsi historico in chron. Prætereo Guttelinũ regẽ Gurguntij filiũ, quẽ Beda græcè & latinè doctissi-

Guttelinus.

Edgarus.

doctissimum fuisse scribit: & Edgarum regem qui doctrina excelluerit: & Blegabridum (quem alij Blegrabedum vocant) hominem regem, tantum tamen musicum, vti Fabianus scribit, vt propter musices excellentem cognitionem musicorum Deus diceretur. Mitto liberalium

Henricus primus Cantabr. educatus.

sciẽtiarum cognitionem Henrici eius appellationis primi, quas Thomas Rudbornus historicus eum Cantabrigiæ hausisse scribit: quibus vsq; adeò claruit, vt Henricus Belloclericus ab omnibus diceretur.

Elizabeth.

Demùm Regina quæ nunc regnat Elizabetha, græcis & latinis, sacris & prophanis literis instructissima, cum superioribus annis Cantabrigiæ esset (quò solo Musarum amore & benefaciendi studio venerat) in scholis publicis & frequentibus quasi literas professura, docta Princeps orationem habuit Latinam, & eam tàm eruditam, vt sexũ mutasse, & supra fœminam sapuisse dixeris: cum significatione benevolentiæ suæ erga bonas literas,

Beneficium Principis.

aliquo beneficio suo futuro in eo Gymnasio explicandæ. At quo tandem autho-

ramen-

ramento, nisi virtutis ? Quid inopiæ (quæso te) istos huc adegerit ? cum non lucri cupiditate (quod video quàm sit exiguum ex professione literarum) non victus inopia, sed virtutis studio, & literarũ gloria gesta hæc sunt : cum his delectati boni Principes sunt, cum quibus nullæ diuitiæ, nullæ opes, nulla diademata, nullæ deniq; regna comparanda sunt. Quæ si illis vt vitia obycis, temeritas tua reprehendetur, non eorum vitia culpabuntur. Sed perge (auellor enim dulci virtutum tantorũ virorum atq; fœminarum recordatione, & bonorum operum memoria sempiterna, partim exemplorum copia, partim breuitatis desiderio) Dionisius docuit, Cantaber docuit. Sit ita sanè. Id tamen non lego, nisi apud Polydorum in fine libri quinti Angl. hist. ex incerto authore, & in collectionibus tuis, in quibus Ludimagistrum per contemptum nominas. Schola enim Cantabrigiensis non id agnoscit, sed Philosophos conduxisse eum id affirmat. Quid tum quæso te ? Calamitosos ob id dices ? Calamitosi sunt

qui

Calamitosus. qui virtutibus destituti sunt, non quibus fortuna recedente virtus superest. Nam virtus semper habet fortunam comitem, nisi mens oberit, vt in Pacæo. Neq; se miserum putabat, imo fælicissimum iuxta ac liberrimum, qui ex naufragio omnia sua secum portasse dixit. Neq; Anaximander, homo Philosophus & domi sua diues se calamitosum censuit, cum ex peregrinatione, quam literarum gratia habuit, reuersus, ac omnia sua consumpta domi suæ vidēs, condolenti respondit, ego saluus non fuissem, nisi ista periissent. Ratio est, quòd nemo cum sarcinis potest enatare: existimans animi bona extra fortunam esse, et eum qui se habet, nihil perdidisse, fortunámque nihil addere sapientiæ: sic vt nemo miser nisi comparatus, vt in Troade dixit Seneca. Non hæc dico tamen Stoicus, vt virtute fælicem, fortunæ verò bonis infælicem Cantabrum existimem, satísque esse diuitem putem, qui cœlo & terra frui possit. Diuersum enim iam antè ostendi, & te memorem vel maximè cupio. Certe quò minus

minus fortunæ etiam arridenti quis fidat, quóq; magis virtuti, eo sapientior est: cum videamus & principes stabile regnum nõ habere, nec episcopos firmas sedes. Quod illud ex Ioanne Boccatio de casibus virorum illustrium inter alios historicos, hoc ex Nigello nostro non contemnendo viro & Cantuariensi Monacho disces, qui benè longa epistola ad Gul. Eliensem episcopum, virum suo tempore primarium, & magni nominis authoritatisq; apud Principem, postea tamẽ calamitosum, exemplis nostræ gentis adductis suadet, vt fortunã contẽnat, et q̃ sit friuolum in blandimẽtis fortunæ conquiescere, expẽdat. Verùm vt demus eiectitium fuisse & calamitosum, certè non solum inhumanum, sed & crudele quoq; iudicamus, vt tum contra hostem, tum contra calamitates quoq; eius pugnes: & non solũ crudele, sed etiã iniurioſum. Nã in calamitoso, vel risus est iniuria, vt Mim. Publ. rectè scripsit. Longè maioris æquitatis et magnitudinis animi nobilis ille bellator Alexander fuit, cũ de Persarum imperio cum Dario pugnaret.

Nigellus.

Alexandri humanitas.

Etenim

*Etenim cum Darij hostis sui vxorem ex collisione abiecti partus decessisse intellexerat, illachrimatus est, exequiasque benignè prosecutus. Quod à se factum dixit, nõ amoris, sed humanitatis causa: neq; in hostis adulationem: nec quòd in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quæreret, sed animi magnitudine, qua didicerit aduersus vires hostium, non aduersus calamitates contẽdere: pollicebaturq; se præstaturum ea Dario, si secundus sibi non par haberi velit. Itaq; in eum cui misericordia opitulari debeat, inuidia abs te quæsita est. Quamobrem hoc in te dicendum existimo, quòd vni ex militibus Darij dux Memnon dixit. Cũ enim maledixisse Alexãdro obseruasset,* Memnon. *non te, inquit, vt maledicas, sed vt pugnes adduxi. Si igitur iustæ causæ contemnendi Cantabri hæ non sunt, si iniquæ & nullæ repudiandi conditoris primi rationes existant, quæ iniusticia homini hospiti, & sempiternæ memoriæ consecrando fundatori atq; principi foret, si illi gloriã facti tolleremus, & Gorboniano, Sigebertoq;*

tóq; nostris tribueremus? Quia nostra- Gorbonianus.
res sunt? Quasi verò patriæ caussa iniu- Sigebertus.
stè agendum? Imo prædicandus magis hospes est, quòd in alienam regionem naturalem gerat affectum, cum hoc voluntatis et virtutis sit, quod laudi ducitur, et non naturæ, quæ necessitatem quandam inducit, & non meretur tantam gloriam. Alioqui id per ingratitudinẽ summámq; iniuriã illi obueniret, quod prouerbio dici solet de generosi equi senecta, cum post res vtiliter præclareq; gestas, ob solos annos reijciatur. Gorboniano tamen & Sigeberto, si quid in Cantabrigienses contulerint, si Cantabrigiensium scholas bellorum procellis collapsas restituerint (vt Stoueus tuus author est, & nos non repugnamus) agendæ gratiæ sunt, et prædicanda nomina. Sed quemadmodũ? vt primorum cõditorum? non, sed posteriorũ reparatorum. Hoc illis denegasse (quòd nemo facit) impium. Offa rex Mercio- Reparatores
rum renouauit scholas variarum artium Cantabrigien-
Cantabrigiæ, authore Richardo Diuisi- sis Academiæ.
ensi in epitome rerum Britannicarũ, cuius

hæc iam relata verba sunt : ergo fundauit eas? Eandem Academiam reparauit & Edwardus senior Aluredi filius à Danis combustam, vt habet S. Swithuni Chronicon, & priuilegijs muniuit, vt ex charta eius scire licet in historiola, in qua confirmat doctoribus & scholaribus Cantabrigiæ, & eorum seruientibus, ,, (vbi ab olim viguit mater Philosophiæ, ,, et reperitur in præsenti fons Clerimoniæ) sua & aliorum principum indulta, in a- ,, ternitatem duratura, & (vt eius verbis ,, vtar) quàm diu vertigo poli circa terras, æquora, & æthera siderum iusso moderamine voluet. Renouauit academiam & Cædwallus rex, eadē attestāte historiola. Quid igitur, ab eis institutā fuit? Cosmus Medices, dux nostra memoria Florētinus, homo qui literarū gloria ꝑpetuus viuat dignissimus, quòd anno dominicæ incarnationis 1543. me vidente atq; sentiente, scholas Pisanas iam antè multos annos desertas, restituerat, & per Matheum Curtium, excellentis doctrinæ virum, aliosq; doctos magna pecunia conduc-

Priuilegium Edwardi senioris.

Cosmus Medices scholas Pisanas restituit.

duc-

ductos, omnium ſcientiarum profeſſione claram celebrémq; fecerat, primus ne dicitur Piſanæ Academiæ conditor, quã aliquot antè ſæculis fuiſſe Academiã conſtat? nequaquam, ſed reparator. Futurũ tamen forſan eſt, ſi res memoriæ non commendetur, vt non reparator ſolum, ſed & conditor quoq; videatur: vti iã Sigeberto regi noſtro euenisse vſus docuit. Quod ideo tamen non dico vt tollatur, aut vlla ex parte minuatur excellẽtiſſimi principis gloria, ſed vt ob benè merita, iuſta ea tribuatur. Nã condita Piſana Academia fuit anno dñi 1339. Deſertã iacuit antè poſtremã iſtam renouationem 150 annis, vti Guolphg. Iuſtus author eſt. Quapropter rectè quidẽ quiſquis fuit ille ſcriptorum, quẽ Georgius Lilius in chronico regum Angliæ eſt ſecutus, & quotquot aly eius generis ſunt, cum dicat, non ſimpliciter Sigebertũ excitaſſe Cantabrigienſem Academiã, ſed excitaſſe dicitur. Multi erunt Cantabrigienſis Academiæ conditores, ſi quis rationem facti inire nolit, & quid dicatur vulgo tantũ ſpectat.

Alumni Cantabrigienſes, non conditores.

Nam post desertã varias ob clades Cantabrigiam, quòd Albinus, Rabanus, Claudius, & Ioannes Scotus, qui floruerunt circa Caroli Magni Galliarum Regis tempora, profitendo bonas literas Cãtabrigiæ studiosos reuocarunt, et sua virtute frequentẽ fecerunt, Freculfo in Chronicis Academiæ Cantabrigiensis conditores habebantur. Gisleberтus quoq; atq; Odo, Terricus & Gulielmus Croilandenses Monachi, qui iacentem propemodum Academiam & Languentem lectionibus Grammaticalibus, Logicis, Rhetoricis, & concionibus Theologicis subleuarunt, cum ad concremati Monasterij sui ædificationem p eas partes mendicarent, à Iosfrido Gallo Croilandensi historico Cantabrigiensis Gymnasij authores constituti sunt: cum tamen in magnis Annalibus Wigornienſibus legam, Cantabrigiæ studium ab eis renouatum tantum.

Croilandenſes.

Quin & magna historia Iorenallensis tradit, creditum esse iuxta quorundam opinionem, & vulgarem antiquorum & modernorũ dictum (hæc enim verba eius sunt)

sunt) Egberti Cantiorum Regis tempore, Bedam venerabilem studium Grantecestriæ iuxta Cantabrigiam posuisse, cũ per ea tempora apud Cantianos quoque fuisse excitatam Academiam dicere perinde vulgus scriptorum potuit, cum authoribus Theodoro natione Græco, sed officio Cãtuariensi Archiepiscopo (cuius libros græcos adhuc extantes dudum vidimus) & Adriano Abbate, Cantiana gens Philosophicis, Græcis, Latinisq; literis sic efloruerit, vt Insula prius Tyrannorũ nutricula, iam familiare domicilium Philosophiæ, scientiarúmq; liberalium professoni efficeretur, authoribus venerab. Beda eccles. hist. lib. iiij. & Gul. Malmesb. de gestis Anglorum libro primo. Propter celebritatem enim quæ fuit præsente tanto viro et promouente in desolata dudum ciuitate, propterq; reuocata studia, Academiã ab eo cõditam esse creditum est. Vt non addã Grantecestriæ iuxta Cantabrigiam fuisse positam ideo vulgus scriptorum dixit, quòd Grantecestriã & Cantabrigiam idem fuisse, idem vul-

Beda.

Theodorus.

gus ignorabat. Excitatam tamen à Beda eam eo probabilius esse historia dicit, quòd Alcuinus Beda discipulus postea Roma Lutetia Parisiorum studiũ transtulerit. Etsi sunt qui putent (inter quos Oxoniensis est) nec Bedam monasterio vnquam egressũ esse (quod in homine docto & experiente rarum est, & penè inauditum, maximè in venerabili presbytero, & haud scio an vllis Benedictinis legibus obligato) nec Alcuinũ eius idcirco fuisse Cantabrigiæ discipulũ (quod Oxoniensis arguit, etsi alio loco verisimile esse dicat) sed non aliter atq; Veronensis ille senex, atq; rusticus apud Claudianũ (poëtam ammiratione dignum vt Prosper cẽset in chronicis) semper eadem domo latitasse & prædiolo, semper eodẽ dolio vsum esse, quasi spongiæ vitã ægerit Beda, semper eidem affixus loco: aut cocleæ, quæ nunq; testa egreditur, nunq; relinquit. Nec venerabilem illũ Bedam discipulos habuisse Rabanum, Clementem, & Ioannem Scotũ. Quanq; de his atq; Alcuino discipulis, non dubitat Baleus in libro Scripto-

Alcuinus Bedæ discipulus.

Beda egressus monasterium.

Bedę discipuli.

Scriptorum Britãnicorum ſub nominibus Ioannis Mailroſſij, Flacci Albini, & Claudij Clementis: nec Antoninus archiepiſcopus Florentinus in chronica ſua tit. xiiij.partis.ij.ca.iiij.paragr.xij.de ſtudio Pariſienſi: nec chronicõ Germanicũ, quod Mutius tranſtulit, lib.viij. Nec Polydorus Vergilius lib. Angl.hiſtoriæ.v. nec hi quos Polydorus authores eſt ſecutus, vt nec de egreſſu Guliel. Malmeſbur. cum dicat vocatum ad Papam Sergium primum Bedam, ſed iuerat ne an ſecus, non conſtituit. Pronior tamen eſt in egreſſũ: Nam libro primo ſic ſcribit. Ferunt Bedam Romam iuiſſe. Verũtamen q̃ Romæ non fuerit, ſolidè non affirmo. Sed eũ illuc inuitatũ haud dubiè pronuncio: producẽs Sergij primi epiſtolam. Et quanq̃ Beda ſcribat eodem referente libro.j. ſe cunctũ ex eo (quo datus fuit ad educationẽ Benedicto Abbati et Celfrido) vitæ tẽpus in eiuſdem monaſterij habitatione peregiſſe, tamen non ita craſſè intelligendum vt dicat, nunquam ſe fuiſſe egreſſũ Monaſterium, ſed quòd aliam habitationem non

habuit aut nouit perpetuam & familiarem, q̃ id monasteriũ, vt nec ciuis aliam q̃ Londinum, etsi non eum semper habet Londinum: aut à tempore quo traditus est Benedicto, omne vitæ tempus in eo transegisse ad annum decimumnonum: qui verus eius sensus esse videtur, dispartiens moræ tempora per ætatis ãnos. Quo magis miror Baleũ, ex quo tu hanc suxsisti opinionem, centur. ij. scribere, nunq̃ esse egressum Bedam Britãniæ limites, & ætatem omnem sub vno Abbate in cœnobijs Wirmuthensi et Giruiensi exegisse, & ad Gregorium secundum, non Sergiũ primum, vocatum fuisse: quæ certè (si bona eius venia dicere liceat) vera nõ sunt. Quod si Aldelmus ad Sergium primũ vocatus iuerat, quid ni & Beda ad eundem accersitus idem fecerit? maxime ad grauia & magni momenti negotia vocatus, & à summo Pontifice, cui negare quicquàm nephas erat, accersitus. Sed iuisse Bedã, certũ est. In eo enim authore, qui vsque ad Edwardum tertium prosecutus est Historiam Rogeri Houedeni.

Beda egressus est insulam.

(cuius

(cuius initiũ est, Excepta ex dictis viri religiosi &c.) sic lego. Successit Nicolao Papæ anno 1281. Martinus vir natione Turonensis. Hic autem dictus fuit Simon, solennis Legatus in Franciam, sed specialiter Parisius pro sedanda discordia inter scholares. Nam Sathanas seminauerat inter eos quasi schisma, vt quæque natio pro se contenderet, Primatum Vniuersitatis ad se pertinere. Veniens autem Legatus, & controuersiam audiens, pro lege promulgauit, esse Anglos primariã illius studij nationẽ. Nam Beda (ait) Romam petẽs, primus omniũ scholas Parisius veniens tenuit, sacrãq; Theologiã ab Euangelio S. Ioãnis inchoans, diũ primus ordinariè legit, omnibus alijs sciẽtijs post se aditum pandit. Hæc prosecutor: apud quem Parisius legis consueto priscis scriptoribus vocabulo, pro Parisias. Idem Onuphrius Veronensis de gestis Pontificum affirmãs, scribit: Symonem Turonẽsem (qui postea Martinus quartus fuit) missum fuisse Legatum Nicolai tertij in Galliam pro arduis ecclesiæ Romanæ negotijs

Angli, prima natio Parisiensis studij.

gotijs anno 1281. Quamobrem audiendi non sunt qui putant Bedam nunquàm exiuisse monasteriũ, inter quos est Tho. Stubbæus seu Stobæus Dominicanus, qui de Archiepiscopis Eboracens. scripsit. Quanquam ne is quidem tantopere contendit Bedam non egressum monasteriũ, sed quòd mare nunquam transfretauerit. At si is perlegisset vitam venerabilis Bedæ antiquam (cuius initium est, Operepretium est cognoscere &c.) illic legisset Bedam Apostolicam sedem adijsse, corã Rom. ecclesia libros suos relegisse & enũciasse, ac dein authoritate Apostolica alijs transscribendos obtulisse &c. forsan Sergio euocante, vt prius dictum est. Hoc enim solenne erat scriptoribus ecclesiasticis eius ætatis, vt suas lucubrationes Rq. Pont. primum examinandas traderent.

Ioan. Scotus. In qua re quòd negligentior erat Ioannes Scotus cum Dionisium conuertit in Latinum, Nicolaus primus eum reprehendit in epistola ad Carolum, dicens: iuxta morem nobis mitti, & nostro iuditio debet approbari, vt Gul. Malmesb. lib. v. de

v.de Pont. explicatius memorat. Ita cũ habeas Bedam iuiſſe Romam, & egreſſũ eſſe monaſterium, atque etiam Britaniæ fines, quid eſt quod amplius deſideres (mi Oxonienſis) niſi afferas Alcuinum cognomento Diaconum (quem alij ſcriptores vndicúnq; doctiſſimum, alij græca & latina lingua egregiè doctum vocant) non Bedam primum profeſſum eſſe Lutetiæ bonas literas. Quod ſi dixeris, confitebor certè humaniores, ſcientiásq; liberales, quas et Carolum docuit, & alios (maximè Aſtronomiam qua valde delectabatur Carolus) de quibus plura apud Iacobum Philippum Bergomenſem in ſupplemento chronicarum libro decimo, et in chronica Antonini titulo.xiiij.cap.iiij.et paragrapho.xij. de ſtudio Pariſienſi, & cap.v.etiam. In chronico mundi chriſtiani Maſſei lib.xiiij.& anno 791. In annalibus Ioannis Auentini lib.iiij. & in chronico Sigeberti Gemblacenſis an.790, vbi in excuſis legitur Alcniũ corruptè: in ſcriptis Alcuinum rectè: vt in ſupplimẽto chronicarum malè Gallus pro Anglus,

quem-

quẽadmodum etiã in chroni. chronicarũ. Eo te ablego, quòd longũ eſſet omnia aſſcribere, & non ſine legentis tedio, etſi cognitu vtiliſſima. Eo explicatius iſta refero, additis libris, titulis, paragraphis, atque annis, vt & alia omnia apertius, quò intelligas me bona fide & ſine dolo omnia tecum agere, ſub aſpectum tuum omnia ponere, & de cauſſa Oratoris minimè ſolicitum, de Antiquitate Cantabrigienſi nihil dubitare. Sed ab Alcuino ad Bedam redeo, quem profeſſum eſſe bonas literas Cantabrigiæ, idem Baleus in prima æditione lib. ſcriptorum Britã. quo loco de Claudio Clemente, & Io. Mailroſſio mentio eſt, apertè profitetur: in ſecunda autem non item. Sed quamobrem, non video. Si enim perſuaſum illi fuit Bedam non egreſſum eſſe monaſterium, cur dicit eum docuiſſe Wermuthi & alibi? Nam illud, alibi, ſignificat alijs in locis docuiſſe eum q̃ in Monaſterio. Quod ſi alijs in locis, cur non Cantabrigiæ (vt conſtans fama eſt, cui credendum eſſe præcipit Titus Liuius, quoties certæ fidei dere-

Beda Cantabrigiæ fuit.

deroget vetustas) proximo Gymnasio, & eo solo per ea tempora, vt paulo post dicemus. Certè recepta ab omnibus opinio est, & fama celebris, Cantabrigiæ et fuisse illum & studuisse. Id præter cæteros, Ioannes Elienſis episcopus in constitutione quam ipse fecit, & Richardus Pinſon impressit, pro festis Diui Chrisostomi, Bedæ, & aliorum sua diœcesi celebrãdis, refert. Agens enim de venerabili Beda, sic scribit. Cui, vt fertur, nobiscum erat natio communis, & sub hac alma matre Vniuersitate nostra Cantabrigiæ similis educatio: qui ita celeberrimus fama extitit, sicut inquit Guillelmus, vt in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Hæc ille. Ioannes Herrisonus etiam constanter affirmat floruisse eũ Cantabrigiæ. Verba eius hæc sunt. Insuper sancti Dei vniuersitatem Cantabrigiæ honorarunt, vt sanctus Doctor & venerabilis Beda præsbiter: sanctus Swithunus doctor Theologiæ: sanctus Ioan. Beuerlaci, Archiepiscopus Eboracensis, & doctor Theologiæ temporibus Bedæ: Ioan. Elienſis.

&

& sanctus Albanus artium Doctor, & Angliæ Protomartyr. Hactenus Herrisonus. Ad hæc, extant hodiè Cantabrigiæ ædes angulares, vetustæ quidem illæ, & Patreæ, medio loco inter vetus sacellum fratrum sancti Ioannis Euangelistæ (quod iam Collegij sancti Ioānis est) & templum sancti Sepulchri rotundum positæ, quæ ad hunc vsq; diem Bedæ domicilium vulgo nominantur. Neq; istud tibi fabulosum videatur. Nam si is qui Dunelmensem hist. scripsit referat, etiam ætate sua ostensum locū in Girwe, vbi de lapide mansiunculam habens Beda, ab omni inquietudine liber sedere, meditari, legere, dictare, & scribere consueuerat, quid ni & Cantabrigiæ fama propagante ad vsus similes domicilium Beda habuit, quod vsq; nomen eius retinet? quādo perinde testis tēporū fama est, atq; historia, vbi certæ fidei deroget vetustas, vt paulò antè ex Liuio diximus. Siqdē fama fuit cum adhuc essem puer, fuisse regiam Atrylburgi, atque etiam Castoriæ (quam hodie Castre dicunt) in Norfolcia. Eam

Bedæ domicilium Cantab.

Bedæ dom. Girwe.

fuisse

fuisse veram superioribus certè diebus ex peruetusta historia Waldei Norfolciæ & Suffolciæ Regis deprehendi: de qua mox latius. Hæc eadem domus quæ Cantabrigiæ est, quòd Iudæi posteà inhabitabant, Iudeorum ædes etiam appellantur. Proinde quid quisque dixerit fecerítque expendendum, & sic quis quisq; fuerit, & quo quisq; nomine dignus sit, censendum est. Alioqui nescias Alcuinum sub Beda studuisse, an secus: Cecropem ne conditorem, an restauratorem Athenas habuisse: Carthaginẽ à Didone, an à Carchedone conditam esse: cum ad hunc quidam, quidã ad illam eius originem scriptores referant. Appianus Alexandrinus in Libyco scribit, Carthaginem Phœnices condidisse annis quinquaginta antè Ilij captiuitatem: conditoréſque fuisse Xorum & Carchedonem. Sicut autem Romani & ipsi Carthaginenses existimant, Dido mulier è Tyro profecta. Nescias itẽ alioqui, num Edgarus Britannorum rex, quem Edmerus (cuius sobriam sermonis festiuitatem laudat Gul. Malm. lib. de Regibus

Edgari monasteria.

Regibus proœmio secundo) in historia nouorum in Anglia, glorioſiſſimum regem vocat, & ſanctiſſimis legibus gubernaſſe ſcribit, Monaſteria quadraginta ſeptem conſtituerit, quod dicit, quinquaginta policitus in charta quadam ſua (quã vidimus) xix. Februarij anno regni ſui ſexto Weſtmonaſterij ſcripta: cum Polydorus tamen Vergilius Angli. hiſt. lib. vj. memoriæ prodidit, eum excluſis ſacerdotibus ſæcularibus, quòd vxores haberent, contra decreta patrum, monachos atque monachas, qui canonicè viuerent, in eorum loca & collegia tantum ſubſtituiſſe. Deucalion quoq; Theſſaliæ Rex, dicitur humanum genus condidiſſe, cum tantum ratibus ad ſe vectos conſeruarit, cũ Amphitrionis Athenarum regis tempore aquarum illuuies maiorem Gratiæ partem abſumpſerat. Et Herbertus Norwicenſis epiſcopus Norwicũ fundaſſe, cum Monaſterium ſolum conſtruendum curarit. Fieri enim non potuit, vt eius author eſſet ciuitatis, cuius erat epiſcopus. Id tamen lego in fragmento quodam libri ſeptimi Hen-

Hen. Huntud. cum in alio nullo (q̃ sciã) habeatur. Etenim ex historicis nostris cognitum est, Castellũ Norwicense Gurguntium authorẽ habuisse: à quo Cairgũtinum principio dicebatur: Ciuitas autem mercimonijs & populorum frequẽtia insignis vicus, Gul. Mal. in vita Gul. Rufi teste, Norwicus. Hæc eo dico, vt temporũ rerũq; ratio habeatur. Nõ enim sum nescius tantam esse doctorum virorum potentiam & virtutem, vt etiam Academias quo loco ante non fuerant, nullo negotio suscitent: multo certè magis, quo loco iam antè erant. Quod si cuiq; parum probabile videatur, cogitet quæ Dubritius Legionensis olim Archiepiscopus cũ regnaret Arthurus, in ea re gesserit memorabile. In vetusto enim codice, cui titulus est, de vitis Sanctorum Wallensium, in vita sancti Dubritij, ista lego. Creuit „ illius (Dubritij) fama cum vtriusq; legis „ nouæ & veteris peritia per totam Bri- „ tanniam, ita quòd ex omni parte totius „ Britanniæ scholares veniebant, non tan- „ tum rudes, sed etiã viri sapientes & doc- „

Castrum Norwic. Cairguntinũ & Burghceastre.

Docti quid possunt constituendis Gymnasijs.

Dubritij gymnasium.

»»tores ad eum ſtudendi cauſſa confluebãt.
»» Inprimis ſanctus Helianus, Sampſon diſ-
»» cipulus ſuus, Ubelinus, Merchiguinus,
»» Elguoredus, Gunuinus, Longual, Art-
»» bodu, Longur, Arguiſtil, Iunabin,
»» Conbram, Goruan, Guernabin, Iouan,
»» Elheharn, Iudnon, Curdocui, Aidan,
»» Cinuarch, & cum his mille clericos per
»» ſeptem annos continuo in podo (ſeu pago)
»» Hentlan, ſuper ripam Guy, in ſtudio lite-
»» rarum diuinæ ſapientiæ & humanæ reti-
»» nuit, exemplum eis præbens in ſemetipſo
»» religioſæ vitæ, & charitatis perfectæ. Et
per aliud ſpatium in natiuitatis ſuæ ſolo,
»» id eſt Miſerbdil, eligens locum vnum
»» in angulo illius Inſulæ opportunum ſyluis
»» & piſcibus ſuper ripam Guy, cum ſuis in-
»» numerabilibus diſcipulis manſit, per plu-
»» res annos regendo ſtudium, nomen loco
»» imponens Mochros Britannicè, id eſt
»» Porci locus, quòd in ſomnis admonitus
»» eſt, vt ibi habitaculum & Oratorium
»» fundaret, vbi ſcropham albam cum por-
»» cis cubantem repperit. Hactenus vetus
codex. Hoc ne vanum videatur, confir-

mat

mat Benedictus Claudiocestrensis in vita sancti Dubritij: in qua, Guy fluuium Waiam interpretatur, quæ hodie Wie, vt reor, appellatur. Vbi id obseruo, vt in alijs historicis Britannicis, magnam gloriam mensæ apud Anglos fuisse olim piscem, & apud vulgum & apud principes, vt olim apud Rhodios Æliano teste: siue ratio loci id suasit, aut negligentia carnis, siue q̃ pisces his, vt & alijs gentibus, erant olim in delicijs: siue q̃ parabilior cibus erat Insulanis. Iam nihil nisi caro placet. Eltutus quoque Gymnasium sua doctrina Glatmorgantiæ excitauit. Nam Merchiaunus, cognomento Vesanus, ad eum sic effatur, vt in vita eius in libro de vitis sanctorum Wallensium legi in hæc verba. Magistralis tibi cura concessa est à Pontifice. Hoc etiam concedo & confirmo regali concessione. Vestrum gymnasium erit venerabile: tributarij tibi seruient et õnes indigenæ. Confluẽt multi ex diuersis partibus: erudiãtur documẽtis liberalibus. Et paulo post. Confluebant ad illum scholares plurimi, quorũ de numero quatuor isti

Piscium vsus.

Eltuti Gymnasium.

»» Samſon, Paulinus, Gildas, & Dewi, id
»» eſt Dauid. Studebant ſapienter eruditi,
»» aliiq; complures ſicut illi. Talis etiam
Tathei Gymnaſium. fuit ſanctus Tatheus, vt ex eodem libro de vitis ſanctorum Wallenſium in vita Tathei legimus. Is enim Guentoniæ magna frequentia ingenuas artes docuit, hortante Caradoco vtriuſq; Guentoniæ re-
»» ge. Verba hæc ſunt. Caradocus rex v-
»» triuſq; Guentoniæ, vt audiuit famam famoſiſſimi viri et venerabilis (Tathei) vi-
»» ſitauit honorabilem doctorem, rogans im-
»» menſis precibus vt ad vrbem Guentoni-
»» enſem tenderet, & ilico ſtudium regeret,
»» quia ciues diligebant eius aduentum, qui
»» inter eos ſtabile retineret magiſterium.
»» Vir doctiſſimus rogatui obediens regali,
»» ac talentum ſibi commiſſum ſeminare cu-
»» piens, adiuit proximam ciuitatem, & in-
»» cepit regere ſtudium, confluentibus vndique ſcholaribus ad erudiendam ſcientiã ſeptem diſciplinarum. Fuiſſe quoq; ſexcẽtorum ſcholaſticorum ſtudium Thetfordiæ in Norfolcia, accepi quidem, ſed non ab hiſtorico, qui tamen ex hiſtoria ſe didiciſſe

Thetfordiæ rex & ſtudiũ.

diciſſe dixit. Quod certè probabile eſt, ꝙ olim regia fuit ciuitas. Cuius rex cognomẽto Rond, ꝙ infeſtus erat Norfolciæ regi Atlynge, occaſionem huic dedit in defenſionẽ ſuã haud procul conſtruendi vrbem, quã à nomine ſuo Atleburgh (hodie Attylburgh) appellauit. Eã muris foſſiſq; ſepſit, & quatuor portis quatuor turres addidit: vt ex veteri hiſ. Waldei Norfolciæ & Suffolciæ regis ſcripta, quam Ioannes Bramis Thetfordienſis monachus ſcripſit, didici, quæ ſic incipit. Caſtor à Iulio Cæſare rex Norfolciæ conſtitutus, Caſtre ciuitatẽ ædificauit. Tempore illo Iulio quo Cæſari &c. Ex eadem hiſtoria intellexi & illud, fuiſſe per ea tempora Cantabrigiæ regem Knoud. Cui in prelio per Waldeum interempto, ſucceſſit Rex Florentius Waldei comes: Caſtre quoq; (Maritimam olim ciuitatem in Fleg. in Norfolcia) regiam fuiſſe Caſtoris Norfolciæ regis, à quo conditore Caſtoria olim dicebatur: etſi iam non præ ſe ferat tantam maieſtatem. Maritimam fuiſſe olim, ferrei annuli muris affixi (ad quos alligabãt

Atleburgh.

Cantabrigiæ reges.

Caſtoria.

naues )inditio sunt, hodiè à mari diuulsam ad mille quingentos passus. Sed hec quidem obiter, ex occasione studiorum, vt scias quid possunt docti viri. Illa verò de authoribus Gymnasiorum, ex professo: vt intelligas ne censendos quidem Cantabrigiensis Gymnasij authores Gorbonianum aut Sigebertum, Bedam aut Terricum, Rabanum aut Clementem, hócne genus alios, quos aut imperitum vulgus, aut parum considerati Scriptores fecerint, sed Cantabrum Hispanum, hominem doctũ atq; nobilem, & sempiterna memoria celebrandum.

Probabilis nõ est Gorbõ. aut Sigeb. authores esse Cantab. Academiæ.

Quid ergo dicis probabilius esse, si ad Gorbonianum aut Sigebertum authores Gymnasij origo referatur? Quasi verò quotidiano vsu notum nõ sit, atq; exẽplis plusq̃ 2000. etiam à primis seculis comprobatũ istud sic in hospite vt in Incola: inter quæ vnũ Oxonij ante oculos tuos est quotidiè positum, Balliolense nimirũ collegium: et vnum Cantabrigiæ, Penbrochiana Aula. Illud enim Balliolus rex Scotorũ cum istic in Britannia exularet, hãc

Maria

Maria de Valentijs, Adomari comitis Penbrochiani vxor, natione Gallica ædificauit. Columbanus quoq; Scotus, Lexoniense monasteriũ in Burgũdia condidit. Henricus etiã Angliæ rex, eius appellationis quintus, Cadomense Gymnasium in Normãnia extruxit ãno dñi 1418. Aut quasi, cũ probabilius esse dicis, probabile esse quod orator scribit confitearis. Quod si ꝓbabile, quid refragaris? quid Leo fremis? Si ꝙ hoc probabilius, illud non esse probabile sentis, contra verborũ naturam (id quod apertis verbis confiteris, cũ eius rei authores non rectè sentire, et toto errare cœlo asseris) dissidentia dicis et discordia, nec tibi ipsi constas: quodq; te probaturum manifestis rationibus scribis, non probas, sed suspicionibus et probabilitatibus nescio quibus cõiecturalibus sequeris, ijs quæ vulgi rumoribus agitantur cõfidis, et quæ animo nõ cernis, κατὰ μίλτην exploras: atq; ita ꝓbaturũ te antiquiorẽ Oxonienſem Academiã Cantabrigiẽſi existimas, quod tũ efficies tamen cum multa pepererit, id quod ãno magno Platonis erit.

Nam video Bernardum non vidiſſe omnia, nec totius antiquitatis memoriã replicaſſe atq; excuſſiſſe : quod certè inofenſo animo dico, & ſine reprehẽſione tua. Verum ſatis eſſe forſan putas tibi tanq; alteri Pythagoræ fidem adhiberi, quòd ipſe dixeris. Sed hoc optandum quidem potius quàm expectandũ tibi eſt, qui nec ſatis probabilia ipſe adducis, nec aliis fidem adhibes, id quod in hoc prodis quod ſcribis. Sed demus maximam ſcriptorũ partem illi ſuffragari, quo nihil eſt à veritate alienius, nemo tamen niſi admodũ credulus, rebus vſq; adeò incredibilibus fidẽ eſſet habiturus. Et rurſum alio in loco. Non referre tua quàm multis premaris teſtibus, dummodo ipſa veritas à te ſteterit. Quam tamen à te ſtare non probas, nec dummodo tuum ab omni conditione eximis. Quaſi verò id ſolum Iouis ſuffragium, id ex Iouis tabulis petitum ſit, quod ipſe aſſeris : id ſolum in priſcis rebus verũ eſſet, quod tibi ſoli, non quod antiquitati verum eſſe videatur : cum tamen in tanta antiquitate quid dicas quid ue ſentias citra

tra

tra authoritatem non omnino habeas. Itaque nihil probabile tuo iudicio est, nisi quod recens sit, et tuæ memoriæ proximũ. Quæ veneranda antiquitas prodidit, fabulæ sunt apud te (mi Oxoniensis) vanitates ac mendacia, apud quem pluris est (vt videtur) tua vnius opinio, quàm mille oculati testes, qui aut ea scribunt qui ipsi viderint, aut ex alijs referunt qui ipsis suis oculis hauriebant. Dabis veniam spero si teneras auriculas mordaci radam vero, quod titillet tamẽ magis quàm vulneret. Libet enim vera magis quàm iucunda loqui in præsentia, nec nigrum in candida vertere: sine tamen stomacho, vt admoneam non lædam. Si antiquitati in istis non credis, minus certè credes in illis: Deum apparuisse Annibali, quem admirabilem ducem describit Titus Liuius: Aut ingenuum infantem semestrem in foro olitorio triumphum clamasse: Aut bouem sua sponte in tertiam contignationem ascendisse: Aut in agro Piceno lapidibus, aut in Anglia & Vecti insula sanguine & ranis pluisse: aut coruum de

ſtilo deſcendiſſe comprehẽſum extremam veſtem M. Ciceronis, vt admoneret imminentis iam Antonij: aut Midæ puero dormienti, formicas in os grana tritici congeſſiſſe: aut Platoni paruulo in cunis quieſcenti, labellis mel apes inſeruiſſe: aut anno gratiæ 1014. ingentem nubem in Flandria ſubito de cœlo cecidiſſe, et multa hominũ millia obruiſſe, ſic vt in ea ſint ſubmerſi: aut Iuliũ Cæſarẽ eodem tẽpore quatuor epiſtolas dictitaſſe: aut Tyberium Cæſarem clarius tenebris quã luce vidiſſe: aut riſiſſe puerum natali die, cũ lætitiæ ſenſus nulli ſit ante quadrageſimũ diem, vt ſcribit C. Plinius et Iu. Solinus: aut Seruij Tullij & Aſcanij pueri caput in cunis arſiſſe: aut nobilem Hollandam tot liberos vno partu enixam, quot ſunt anni dies: aut ouem leonem peperiſſe: aut elephantem latinas literas ſcripſiſſe, quod ſe vidiſſe Ælianus ſcribit: aut Ariſtomenem Meſſenium cor piloſum habuiſſe, & trecentos Lacedemonas interfeciſſe: aut vnum Alexandrum aduerſas aliquot hoſtium millia in Vrbe Cicambrorum

brorum Cori prælium eße, belli impetum diu ſolum ſuſtinuiſſe, & tandem hoſtes cecidiße & fugaſſe : aut Corinæum Troianum Tyrrhenos gigantes fugaſſe, cum ipſe tamen Gigas non eſſet, & eos ternos quaternósq; ſolum fudiſſe, noſtrũq; Goemagot (quem Gogmagogum noſtri vocant) in humeris ſublatum, è ſcopulis præcipitaſſe : aut in Britãnia reperta eße Gigãtis oßa ãno 1170. cuius lõgitudo 50. pedũ erat, authore Chriſt. Maß. in chro. mundi lib. xiiij : aut exercitũ Simiarum in poſteriores pedes erectum, fiſtulis virgultorum in humeris armatum, è ſyluis ordine militari ad ſpeciem imitationemq; præliantium hominum, ex acie haud procul conſtituta ordine diſcedentium, egreſſum eſſe, cum tamen naturaliter humanas actus per luſum imitentur : aut tantum prælium inter paſſeres anno domini 1365. commiſſum in Britannia, vt magna corporũ ſtrages vbiq; ſupereßet : aut paſſerculum accipitrem fugientem, in Zenocratis Chalcedonij ſinum ſe recepiſſe: aut in Niba gallos nũq; cecinisſe: aut ingentẽ

lapidem

lapidem de cœlo cecidisse, quod in chron. abbatis Vrspergensis lego, aut Starcuterum Gigantem animo & viribus cæteris præstantem, trium hominum continuatas impleſſe ætates, vt Saxo Grammat. & Albertus Crantzius in hist. Danica lib. j. cap. xxxv. & hist. Suetiæ lib. ij. cap. xxij. memorãt: aut hoc genus alia fuisse aut incidisse: cum tamẽ grauissimos authores Titum Liuium, Plinium, Iustinũ, Florum, Ælianum, Valerium Maximum, Ciceronem, Laertium, historicos Hollandos atq; etiam nostros, illustriũq; ducum fidem ista habeant. Maximè verò numerosus fœtus (de quo quis magis forsan dubitauerit) cum tamen non solum historiæ Hollandicæ, sed et Erasmus Roterod. & Io. Lodouicus viues eius meminerũt, & prater cæteros Lodouicus Guicciardinus in descriptione inferioris Germaniæ intra complexum hist. Hollandiæ, particulatim docens fœtus matrem, cognationem, nobilitatem, sexum, locum, tẽpus, baptismum, susceptores, episcopũ baptisantem, nomina, obitum, et epitaphium, atque

atque omnium primum euentus cauſſam. Chriſtianus Maſſeus in chronico mundi lib.xvij.addit annum 1313. et peluim in qua ſuſceperunt baptiſmum, et fœtus numerum 363. ne quis rem vanam eſſe putet. Ego vimis (cum in Italiam proficiſcerer per Germaniam) boues in Pergamis, ſeu in tertia contignatione altos memini: & equum ad ſummam turrim cãpanarum S. Marci Venetijs, quamuis altam aſcendiſſe, à fide dignis accepi. Nec mirum, cum ita leni latoq; aſcenſu formentur gradus, vt vel bos aſcendere poſſet, aut aliud ad ſcandendum ineptiſſimũ animal. Iſta inquam, hocq; genus alia minus iſtis credes, ſi de antiquitatis Cãtabrigienſis veritate minus fidem illis adhibes. Concipis tu quidem apud te neſcio quam aliam veritatem, quam nemo præter te in tanta luce videt: quam nemo poteſt oculis aſſequi niſi tam Lynceus, vt ea quoq; per altiſſimas tenebras videat, quæ nuſquam ſunt, & ſpectra tanquam pueri in nubibus cernens, veraſque imagines errore mentis iudicans, vt ſolent qui vmbras

bras tantum rerũ in ſpecu Platonico cõtemplentur, aliquando tuo more ludis, aliquando grauibus verbis et magno fastu (quæ parum decent doctum virum) contendis, cum bonis iustisq; rationibus certè nequis. Nam & portentoſæ vanitatis, grauis impudentiæ, vicioſæ cœcitatis, & prodigioſæ Μυθολογίας ſæpiſſimè homines arguis, parum candidè mi Oxonienſis, et miris ſermonis delicijs (quæ tua ſunt verborum lenocinia & blanda eloquentia) mendatiorum copias, fabuloſa nugonum commenta, ementitas teſtium multitudines, portenta mendaciorum, & hoc genus alia conuiciorum plauſtra ſubinde Scriptoribus obijcis (idque nudo capite vt dici ſolet, vrens ſine torre Thesm alter) quos ſæculum prius honorarit: ὃυς τε μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται, in tractatione aſtutus, in oratione crudelis, ſic vt anteq; mactas, etiã excories: conſiliũ ſecutus (credo) Aulicorum, qui raro prõſici ad inuidiam reprimẽdam cenſent obſequio, vt author eſt Io. Sariſb. in Prologo Metalogici. Nam obſequendi mos (vt inquit)

inquit) nota abiectionis inuritur: innocentia, impotentia videtur esse professio: taciturnus, criminatur indoctus. Sic vt si rixa non est, vix est vt liuor non sit in Curia. Sed hæc de Curialibus nugis scribit Sarisburiensis: nos de musis contendimus, quos alij mores decent (ô Oxoniensis) disparia studia. Ita cũ rebus vincere nequis, verbis vsurpas libertatẽ muliebri more, immemor te virum esse, vt de comatis Anglis ætate Henrici primi Gul. Malmesb. in historia nouella scribit, qui obliti se viros esse, promisso capillo muliebrem sexum ementiti sunt: quasi è Massilia venissent, aut Lentiscum mãderent, iuxta prouerbium. Sed hæc, tua est Rhethorica, hæc conuitia & maledicta orationis tuæ ornamenta putas, cum forsan legeris apud Quintilianum inter præcepta Rhetorices esse, vt nostra quàm commodissimè referamus, additis confirmationibus, & si quid est quod mitiget, quod extenuet, quod alioqui caussam adiuuet. Contra, quæ sunt aduersarij, ea his omnibus destituta recitemus, idq; verbis q̃ fieri

eri potest odiosissimis. At si hæc sit Rhetorica maledictis lacessere, rudis certè & plebeia est rhetorica. Ego malim (si tu essem ô Oxoniensis) peccare in istam rhetoricam quàm in candorem, in artis eius præcepta quàm in modestiam. Quæ res miror non venisse tibi in mentem in istis aliisq; hoc genus locis, vt in illo de his qui ab Oxoniensi ad Cantabrigiensem Academiam (vt ais) commigrarunt. In quo cum nullus sit quem proferas præter Rydleium & Crayfordum, qui melioris fortunæ gratia Cantabrigiam sponte venerãt, & non in Academiæ ornamenta asciti sunt, vt tu non rectè dicis (quorum Craifordus melior ne gladiator an procancellarius fuerit dubito) probitate morum simulata, rem silentio præteris. Dicis enim » te id commonstrare posse, si in his contẽ » tiosior esse velles quæ inanem potius iac » tantiam resipiunt, quàm grauitatem & » modestiam, qualem deceat bonarum li » terarum professores, ostendunt. Eos tamen si scisses, haud dubiè non sic transsilijsses. Atque ita flores quidem, sed non fructi-

fructificas vt solet arbor sterilis: sonas, sed vt inanes cupæ: sine bile loquor. Sed video γραφὴν τε καὶ λευκάλιον οὐ ταυλόν, vt est in prouerbio. Video Athenienses scire quid faciundum sit, cæterum Lacedemonas facere. Etenim melius honesta probamus quàm sequimur. At

Quid didicisse viam prodest qua pergere nolis?

Turpior ignaro factus es ipse sciens.

Id te sciuisse oportuit, antiquis deberi venerationem, οὐ δ' ἀνδράσι προλέροισιν ἐριζέον, neq; cum maioribus concertandum. Hoc enim Homerus admonet. Sed mitto tua indecentia iurgia, inurbana vocabula, & redeo ad argumenta. Nam etsi grauatim ista obseruo in te, & neq; modum neq; consilium vllum in verbis tuis animaduerto, quod non lubenter refero, mi Oxoniensis, non committam tamen vt quam maledicendo voluptatem cœpisti, eam malè audiendo amittas. Siquidē mihi ratio habenda est, non quid affectus tuus debeat audire, sed quid Iuditij ratio honestè dicere, nec dentem dente rodere.

*Non enim contendẽdi partes ſuſcipio, ſed admonendi. Quapropter volo* ἁλμυρὰς λόγῳς γλυκέσιν ἀποκλύσεσθαι νάμασιν, *vt Cynulcus apud Athenæum dixit, & ſalſa verba dulci aqua abluere (etſi nulla media camẽta ſunt tam ſalutaria, q̃ quæ faciunt dolorẽ vt ait (ic.) mollioribus q̃ quo modo poßũ verbis fraudes tamẽ detegere, et veritatẽ denudare, ne fucatis ornamentis cõtecta, ſpecie ſua nõ cõpareat, atq̃ ita multos & incautos oratio tua circumueniat. Tu interim me conſultore, reuocato gradũ. Non enim qui ſemel verecundiæ fines leuiter trãſierit, eũ bene et gnauiter oportet eſſe impudentẽ, ſed quotidiè ad æquitatem & rerum naturam delabi potius. Neque enim indulgendũ tibi ipſi omnia.*

Cicero.

*Sed inquis neq̃ Monemutenſis, neque hiſtoria regia faciunt mentionem Cantabri. Reſpondeo, nec Ranulphus Ceſtrenſis, nec Ingulphus Croilandenſis, nec Giraldus Cambrenſis, nec hiſtoria Brutus, faciunt mentionem Bartholomei: quẽ rectius Partholomum ex Gilda de geſtis Britonũ, et ex Florilego vbi de Gabio & Porcenna*

Non q̃ mentio nõ eſt Cãtabri, non fuit Cantaber.

Porcenna scribit, aut Partholinum ex aliis, diceres. Etsi animaduertã tibi magis placere Bartholomeum, inusitatum priscis Hispanis vocabulum, q̃ Partholomeum apud Monemutensem vertis in Bartholomeum, cum in Partholomum vertendũ fuit. cuius Monemutensis sensum tu quidem explicas, sed verba non refers. Imo neque Huntudonensis, quamuis homo diligens: neque historia S. Albani in vita Aluredi, faciunt mentionem Oxoniensis scholæ. Historiam S. Alb. dico, non illam quæ supplementum est Ranulphi, à Monacho quodam S. Albani conscriptum, & sic incipit: Rex Edwardus fecit tres comites &c. sed alteram. Sed nec Mattheus Florilegus eius meminit, licet hoc confidentius quàm verius asseris. In omni enim vita Aluredi, ne verbum quidem Oxoniensis Academiæ est. Exoniã (in quibusdã Oxoniũ) ab Aluredo obsessam, ibidẽ lego: de scholis Oxoniensibus ab eo institutis, nihil lego. Imo verò neq; apud Ioannẽ Capgraauium in vita sancti Neoti, in eo libro quẽ de sanctis Angliæ Partholomus

scripsit, vbi tamen de schola Anglorum Romæ utrobiq; plura. Non erat ergo Oxoniẽsis Academia? aut nõ erat Cãtabrig? Dioscorides non meminit huius aut illius Herbæ: non est ergo? Gildas atq; Beda non fecerunt mentionẽ Arthuri, vt arguit Guliel. Paruis, authore Baleo in Io. Graie: non fuit igitur Arthurus? Neque cõtrouersia est, Partholomus ne fundauerat Cantabrigiam an non, (in qua re magnopere tu laboras tamen) sed an Cantaber. Nam Partholomum in Hibernia se continuisse vt gentis suæ μοναρχην, certum est. Nec consequi, Cantabrum non extitisse authorem Cantabrigiensis scholæ, quòd incertus author apud Polydorum, aut Monemutensis libro primo, non Cantabri sed Partholomi regis faciunt mentionem, quem natione Cantabrum fuisse scribunt, cum is Partholomus primus suæ gentis Dux seu Rex erat, cuius solo nominè omnia geri dicebantur, etsi alios duces sibi associatos habuit. De bellis enim à Romanis contra Britannos, & inter Cæsarem & Pompeium gestis,

Partholomus. suorum Monarcha.

omnia

omnia dicũtur gessisse Cæsar, Cassiuellaunus, & Põpeius, in suo quisq; prælio: quãuis auxiliarij Duces essent Comius Atrebas, et T. Labienus, cõtra Britãnos. Item in Troiano bello omnia egisse Agamẽnon atq; Priamus, etsi alios Duces nobiles, Hectorem & Achillẽ belli socios (de quibus ne verbũ quidẽ apud summarios istos historicos) istud bellum habuit. Etenim qui summas rerũ scribunt, historicæ fidei satisfaciunt, si primum Ducem omissis cæteris nominauerint. Imo verò sæpissimè vtrumque omittunt, vt Giraldus Cambrensis libro de Topographia Hiberniæ distinctione tertia, qui cum hanc historiam referat, neutrum Ducem nominat. Sed istos Scriptores, non Historicos, sed Chronicos ex Geruasij Dorobernensis sententia dicerem. Nam vt is ante Prologum historiæ suæ tradit se & alios ante se chronicos annos incepisse à natiuitate Domini, voluisse autem se ab annunciatione dominica, sed non potuisse absque falsitatis fuco propositum suum ad effectum perducere, sic in Prologo suo

Annus vnde incipiendus Chronicis.

Differentia inter Chronicũ & Hiſtoricum, Hiſtoriam & Annales.

refert hiſtoricũ, fuſius & elegantius ſcribere: Chronicum, ſimplicius atq; breuius: atq; ita inter chronicum & hiſtoricum interſtinguere, vt Radulphus de Diceto, Londinẽſis olim eccleſiæ Decanus, ex Agillij libro. v. inter Hiſtoriam & Annales. Etenim cum vtrumq; rerum geſtarũ ſit narratio, tamen earum proprie rerum eſt hiſtoria, quibus gerendis interfuit is qui narrat: Annales verò, cum res geſtæ plurium annorum, obſeruato cuiuſq; anni ordine, deinceps componuntur. Sed hæc obiter. Redeo ad inſtitutum, Cantabrũ in Britanniam veniſſe, etſi Monumetenſis & hiſtoria regia ſubticuerint.

Cantabrigienſis ſchola fuit Academia ante Oxonienſem.

Verum tu cum in iſtis omnibus argumentis nullam ſpem certam atq; firmam eſſe tibi poſitam vides futuræ victoriæ, tũ propter alia, tum propter ætatem Sigeberti, qui multis annis anteceſſit Aluredũ Conditorem veſtrum, pedem refers ab ætate Principum, ad Academiæ appellationem: ſic vt licet ætate Sigeberti vincere Academia Cantabrigienſis poterit, non tamen Academiæ ratione & appellatione,

latione, sed scholæ poterit. Nam Mattheũ Florilegum Westmonasterienſem Monachum, hiſtoriam regiam (quam glorioſo nomine inſignis, cũ non regio ſed monachico, vt ita dicam, potius appellares) & omnium primum Bedam Angloſaxonicæ hiſtoriæ libro. iij. cap. xvij. referre dicis, Sigebertum ſcholas literarum per loca inſtituiſſe: ſcholas literarum in regno ſuo ordinaſſe: et ſcholam in qua pueri erudirentur Cantuariorum more inſtituiſſe. Itaq; quam Cantabrigiæ fundauerat Sigebertus ſchola, grammaticalem fuiſſe ſcribis, qualis eſt Etonæ aut Wintoniæ, non Academia variarum artium, qualis veſtra iam eſt, & fuiſſe ab initio aſſeris ab Aluredi tempore. Quæ non poſuiſti ne tollas ô bone. Remum ducat qui didicit. Etenim quod ex Beda refers, vt non hiſt. Angloſax. lib. iij. cap. xvij. ſed eccl. hiſt. gentis Angl. li. iij. ca. xviij. lego, ita nõ ex Beda ſed ex Lelãdo, vt ſoles omnia, hoc eſt, non ex fonte, ſed ex riuulo: nõ tua, ſed aliena fide, vt pace tua dicam, te hæc referre video. At cum nec Beda, nec

Sigebertus nõ fundauit Academiam Cantabrigienſem.

Flores historiarum, nec hist. S. Edmundi, quam regiam vocas, qui vnicum Bedam authorem sequuntur, vt ex eorum verbis scire licet, has scholas fuisse Cantabrigiæ à Sigeberto nominatim positas contestentur, vt nec Guli. Malmesb. libro de gestis regum Angliæ primo, nec de Pontificibus in Felice, qui ex istorum scriptorum verbis iam relatis Oxonienses cum Cantabrigiensibus ætate possunt conferri? quí ue sciri poterit ex istis dico verbis, schola ne antiquior sit quæ Oxonij est, an quod hodie Cantabrigiæ est Gymnasium? qui Grãmaticalis schola ne istud, an generale studium fuerit? In quo cum tu ad huc dubius, obiectioni tuæ respondeas, Bedam non expresse (vt ingenuè dicas) scholæ Grantanæ meminisse, miror quid in mẽtem venerat, vt ex precedentibus colligas, Bedam apertè confirmasse pædagogium fuisse quod à Sigeberto institutũ est. Quod cũ tu Cantabrigiæ vt materiæ subiectæ accomodas, eodẽ ore & spiritu apertè & non expresse (quæ inter se non mediocriter pugnant) significari pæ-

ri pædagogium haud considerate astruis. Imo verò quod inconsideratius est (ne quid grauius dicam) ausus es historiarũ vulgarium homo censor, in alienas historias nugamenta tua infulcire, ita si liceret dicere, et Grãmaticalẽ scholã nominatim Cantabrigiæ Sigebertũ posuiße scribere, atque falsarũ rerum nouus author haberi. Quod quanta fide historica abs te factum sit, & quanta iniuria eius historiæ authoris, ipse expende. Certe satius multo fuißet, si functioni tuæ attentior esses tollendis mendis, quæ vt aiunt te fugerũt multa, q̃ nouis apponendis, vt ne tua

Det veniam coruis, vexet censura columbas.

Fallatiæ alienæ authoritate contectæ.

Sed Polydorũ, Lelandũ, & Baleum non postremæ notæ homines sic colligere ais, et non aliundè q̃ ex hoc Bedæ loco. Ex quibus verbis obsecro te? cedo. Ego certè nõ video, nec ipse tu, nec alius quiuis quantumuis doctus atq; diligẽs videre ex istis poterit, etiã si Lynceus èsset, aut eo etiã perspicatior. Ex alijs scriptoribus forsan, aut ex eisdẽ alijs in locis id scire possunt quod

colligunt, sed non ex istis. Quod si ex aliis, authores notaßent, loca deßignaßent, quo certiorẽ rei fidem facerent. Quod cũ nequeant, eo loco se inueniße existimo, vbi cerui cornua deponunt: aut ab illo accepiße, qui Druſillam in cœlum euntem viderit. At ſi non ex aliis, frustra tam multa verba facis, atque argumenta texis in Grammaticalem ſcholam ſublatis fundamentis: niſi ſi quid Apollo cecinit, aut Vulcanus vaticinatus eſt. Iam verò ſocietatis ratione magis conſentire videntur iſti in collectione, quã virtute ſenſus ex verbis eliciti. Etenim ex Ioanne Lydgato certò conſtat, iſto in loco de Cãtabrigia Bedam ſenſiße minimè: alio autem in quo de Cantabro authore hiſtorica fide expreſſe ſcripſerit, certè vel maximè. Itaq; nihil ad fides iſta, vt dici ſolet, cum nihil aliud quàm bullatæ nugæ ſint, nec os ineſt illis. οὐ γὰρ ἡ ἀπ' ἀρότρου ὦ πάτερ, vt apud Pauſaniam. Quod ex eo facilè intelliges, quod Lelandus in comment. in Cyg. cantionem ſcribat, ſe nihil certius de origine Grantanæ ſcholæ legiſſe quàm

quàm quod ex Beda et alijs de Sigeberto rege colligunt. Qua in re sanè non tollit antiquam originem, sed cognitionem suã ampliorem: nec ponit eius originis certam aliorum scientiam, sed cõiecturalem collectionem. Non enim apertè hoc à Beda scribi dicit, sed tectè latenterq; posse colligi. Quod cum Lelandus ipse non obscurè dicat, quid te mouit vt scribas, Lelãdum clarè ex veterum monumẽtis docuisse, Sigebertum Cantabrigiensis Academiæ fuisse conditorem? Cuius si profiteatur se non legisse alium authorem quàm Sigebertum, non erat ergo alius? Quasi verò is legisset omnia, & solus omnia, aut alijs non esset ea librorum copia, aut par studium et diligentia quæ illi fuerit. Qui si alium eius authorem non legerit, nihil legit. Etenim vides quid tam multi scriptores vetusti & recentes de authore & antiquitate Cantabr. Acade. scribant, quos his ipsis nostris oculis vidimus, nostris manibus contrectauimus & euoluimus. Proinde si consensus scriptorum Sigeberto tribuat Gloriam Gymnasij instituti

tuti (vt Lelandus ait) certè recentium consensus est, quorũ multitudo aut vnus Polydorus est, aut vnum Polydorum sequuntur, qui inter eos est vetustissimus. Horum authoritates si lubenter audis cum Beda consensisse, cur non etiam æquo animo audis, eos à Sigeberto positam Academiam & non scholam Grammaticalem memoriæ prodidisse, in fauorabilibus admittens, in aduersis excludẽs, quod parum æqui animi est, mi Oxoniensis. Illud certè dicam, si primus author fuisset Sigebertus, silentio non præteriissent Cantabrigienses cõmentarij, vt tuo more argumenter. Qui licet author non fuit, singularis tamen patronus & restitutor esse potuit, quales semper Cantabrigia habuit, & Deo propitio habitura semper est, & habet quoque hodie (gratiæ Superis) multos. Habet enim (vt ex multis paucos referam) lucẽs ille & pulcherrimus orbis virtutum Cantabrigia, præter cæteros, tres summos & primarios viros, tanquã tres stellas radientes, de quibus multum sanè gloriatur & iure gloriari potest:

Reueren-

Reuerendissimum Mattheum Cantuariensem Archiepiscopũ, & totius Angliæ Primatem: D. Nicolaum Bacon equestris ordinis virum, summi Cancellarij Angliæ locum tenentem, & Magni Sigilli custodem: & Guliel. Cecilium equitem auratum, regiæ maiestati à secretioribus libellis & consilijs, atque Cantabrigiensis Academiæ Cancellarium summum. Qui vt eodem tempore Cantabrigiæ omnes studuerunt, studijsq; floruerunt maximè, ita in administrãda rep. sub clementiss. nostra Principe ELIZABETH, eodẽ tẽpore omnes grauiter sanè et sapienter præsunt, omnibusq; modis prodesse musis student. Verũ Sigebertũ non extitisse fundatorem Cantabrigiensis Gymnasij, & ante eum fuisse id Academiam, satis. Patroni & Alumni Cantabrig. Academ.

Venio ad numeros tuos. Etenim relicta hac tua ratione, penè dixi friuola & inani, omniq; re destituta, ad nominũ numeros confugiendũ tibi fuit: à calcaria (vt aiunt) ad cærbonariam. Nam scholam non scholas Bedam dixisse annotas. Vnde pædagogium non vniuersitatẽ fuisse colli- Scholæ numerus non tollit Academiæ appellationem.

colligis. At ea res si tãtopere facit in rem tuã (libet enim rationes tuas nulla cogente necessitate subtractis iã ante fundamentis examinare) pro antiquitate Cantabrigiensi stabunt etiam ipsissimi tui scriptores Florilegus & historia regia, qui vel te reclamante, scholas in plurali habent. Alter enim dicit, scholas literarum per loca instituit. Cum quo Gul. Malmesb. de regibus, & hist. mag. Iorenallensis in vita Sigeberti per omnia consentiunt. Altera scholas literarum in regno suo ordinauit: Florilego annum addente 636. atq; causam, vt literarum dulcedinem experirentur agrestes. Si igitur numerus pluratiuus facit aliquid ad vniuersitatis significationem, dato quod scholas Cantabrigiæ posuit Sigebertus, consequetur facilè vel tuorum authoritate, Academiam iam tum posuisse eum, cum primum scholas posuit: etiamsi tacuissent Polydorus et Baleus, dum affectibus, vt ais, indulgentes, adamatæ student Academiæ. Aut certè necessario dabis mihi et Academiã Oxonienſem non fuisse à principio Academiam

miam, sed Grãmaticalem scholam, qualis est Etonæ aut Wintoniæ. Nam Asser, (quem Aluredus Aßerum, Lelãdus Asserium nominat, sed quamobrem nescio) de gestis Alphredi refert, Aluredum tertiam partem bonorum suorum scholæ quam ex multis suæ propriæ gentis nobilibus pueris & etiam ignobilibus studiosissimè congregauerat, dediße. Idem, Aluredi literarium Ludum scholam vocat in singulari. Quæ si ad Oxon. Acad. referantur, vt solent, etiam scholam Grammaticalem fuiße à principio vel ex te cõfitendum est. Quod & tu quoq; in commentarijs tuis exemplis confirmas. Etenim Io. Beuerlacensem regnante Henrico tertio, primum apud vos fuiße artium magistrum aßeris. Nam Academia ante non fuit, quàm facultas creandi magistros fuit. Quæ si tum fuit cum is primũ crearetur, ante id tempus schola Grammaticalis fuit, si schola tum omnino fuit, qualis est Etonæ, aut Wintoniæ. Non enim verisimile est facultatẽ vos ante habuisse, atq; vsum neglexiße. Demum qui

Asser.

Grammaticalis schola fuit quã Oxoniæ posuit Alured⁹, si qua fuit.

historiæ

historiæ Lanqueti supplemẽtum addidit (quem Oxoniensem & benè doctum audio, & ex iis vnum, quos tu cæteris anteponis) refert consilio Noti (Neoti scribendum) Aluredum Angliæ regem primam scholam Grammaticalem Oxoniæ ordinasse, & oppidum magnis priuilegiis anno domini 886. donasse. Stoueus quoque primam posuisse scholam Grãmaticalem Oxonij, et ornasse priuilegiis Aluredum, in epitome Chronicarum, quam anno post Christum natum sexto supra 1560. edidit, scriptum reliquit. Cuius authoritate eo lubẽtius in hac causa vtor, cum antiquiorum copia sit, q̃ in hac controuersia eius, eiusq; similium (quos citas) authoritatem præponderare debere existimas. Est in marginali nota apud Richardum Diuisiensem in epitome rerum Britannicarum, antiqua manu scripta, regem Aluredum consilio S. Neoti instituisse informatores artis grãmaticæ per regnum, specialiter in Oxonia duos ordinasse. Quæ sanè Oxoniensem scholam à principio nominatim fuisse Grammaticalem, certò

Oxon. schola Grãmaticalis.

certo indicant. Itaq; in magnas certè angustias cogeris, Oxonienſis, ſi ad iſta numerorum aſyla confugias : ſi Cantabrigienſem antiquitatem ad numeros traxeris, vti Pythagoras rerum principia, atq; adeò vniuerſam Philoſophiæ rationem. Eadem curioſitate breui futurum exiſtimo, vt etiam ſcruteris qui ſunt apud inferos terniones. At verò iſti numeri magis contra te q̃ pro te faciunt. Siquidem nemo eſt qui dubitat quin Salernũ Academia fuerat, & ea celebris : ſe tamen ſcholam vocat. Etenim ſic ſcribit.

*Anglorum regi ſcribit ſchola tota Salerni.*

Verum huius ſcholæ vt latinè neſcientis Barbariem mihi forſan obijcies. Nouit enim vias quibus effugiat Eucrates. At ego vel ex ipſo Cicerone, qui omnium Latinorum inſtar erit, edocebo, & ſcholam & ſcholas quoq; quo libet numero Academiæ nomine & appellatione latiniſſimè dici. Nam de natura Deorum ſic ſcribit: Ex Platonis ſchola Ponticus Heraclides: Et de finibus, in Epicuri ſchola : & ali-

bi eodem libro, explicare ſcholam. In epiſtolis, habes ſcholam Stoicam: & alio in loco, homo ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus ex ſchola. De officijs, ſed hoc de genere commodius à quibuſdam optimis viris ad medium ianua ſedẽtibus, quàm ab vllis Philoſophis vlla in ſchola diſputatur. De diuinatione itẽ, multa iſtiuſmodi dicuntur in ſcholis. In Tuſculanis quæſt. vt iam etiam ſcholas Græcorum more habere auderemus: & rurſum, fuiſti ſæpe credo cum Athenis eſſes in ſcholis Philoſophorum. In Oratore, è Philoſophorum ſcholis tales ferè euadunt. Et rurſum, Clamabunt credo omnia Gymnaſia, atq; omnes Philoſophorũ ſcholæ. Quid multa, nuſq; non occurrunt ſchola & ſchola in Gymnaſij ſignificatione apud Ciceronem et probatos authores: niſi ſi vox grãmaticalis adiungatur. Hæc enim addita, facit vt ſchola non Gymnaſium, ſed pædagogium ſenſu tuo ſignificet. Quin & Leladus tuus, quem ideo addu co q magnæ authoritatis virũ exiſtimas, in epigrammate quod citas, Sigebertum

Canta-

Cãtabrigiam artibus illustrẽ atq; scholis reddidisse confitetur. Nozerenus quoq; in descriptione Burgũdiæ, per Sigeberti schollã intelligit Academiã. Nam ex Felice capta occasione, sic scribit. Felix Burgũdio Archiepiscopus Bizõtinus Sigeberto suasit, vt Cantabrigiæ Academiam excitaret ãno dñi 630. Idẽ faciũt Polydorus li. v. & Baleus de script. Britã. centur. j. vbi de Sigeberto pio mentio est, quẽ bonarũ artiũ Gymnasiũ Cantabrigiæ posuisse scribũt. Sic tamẽ, vt addat iste, reuocatas iã bonas literas ante sepultas, vt intelligas non iam tũ primo Cãtabrigiæ institutas esse à Sigeberto, sed reuocatas. Georg. Lil. quoq; in chro. Angl. regum, publicã Academiã Sigebertũ posuisse dicit: sed an primus posuerat, dubitat. Etenim, fertur, addit. Eius verba hæc sunt. Sigebertus orientaliũ Anglorum rex, primus bonarũ artiũ author, suasu Felicis cæiusdã Burgundiæ episcopi, Cantabrigiæ publicã Academiam excitasse fertur, anno salutis 630. Erasmus item Rotherodamus in ea quam nuper retuli epistola ad Bouillum,

Academiam Cantabrigiensem, et scholam & Academiam nominat, & ceteras Academias scholas appellat. Denique tu quoq; scholam atque scholas in libello tuo subinde vocas Cantabrigiam & Oxonium, nota iam Gymnasia & celebria. Nec improbo, modo tu id iuris alteri permiseris, quo es ipse vsus. Quid igitur de Pædagogio illo tuo Grammaticali loqueris? cur ad numeros confugis? Nulla ne alia quàm numerorum erant argumenta? tam infœcunda eius argumenti omnia sunt, vt cum plus contenderis q̃ possis, minus tamen feceris q̃ cupis? Certè fefellisti me. Nam ante hac putabam te habuisse cornua, quisquis es qui antiquitatẽ Cantabrigiensem oppugnare ausus es. Sed addes forsan, Bedam non scholam atque scholas simpliciter dixisse, sed scholam in qua pueri erudirentur Cantuariorum more scripsisse, atque ita locorum & personarum circumstantijs significationem ligasse & restrinxisse: vt quod Beda dixerit, Pædagogium potius significet quàm Gymnasium. Ita si dixeris, non a-

gis

gis ingenuè (Oxonienſis) cum non dicat Beda ſchola in qua pueri erudirẽtur Cãtuariorum more, ſed in qua pueri literis erudirentur iuuante Felice, & præbente doctores (ſic enim Saxonicum verbum Lareoyas, iſtud Bedæ vocabulum interpretatur) Cantuariorum more. Sic vt voces iſta, Cantuariorum more; referantur ad doctores, non ad literas. Si alio referant Florilegus tuus & hiſtoria S. Edmundi, quam Regiam vocas, qui aliquid ſemper ex ſuo adijciunt, & mutant ſæpè quadrata rotundis, contẽtus eſſe non debes, ſed ad Archetypos et origines recurrere, Bedam nimirum, quem hi ſecuti videri volũt. Sed eſto, ſi placet, quo modo obijcis, vt omnibus modis veſtræ Academiæ conſulatur. Nam tutum tibi exiſtimo duobus niti in hoc ſalo anchoris. At dic rogo te, ſunt ne omnes viri qui hodie ſunt Oxonij? an non maior pars puerorum atq; adoleſcentum turba eſt? quibus etiam præponitur altera Academiæ pars quæ grauior eſt, quos & olim & hodie quoque tutores vocant, qui laneopar.

magistri iuuentutem erudiant, moribus instruant, atq; adolescentiam ad literarum cognitionem mente manuq; producant. Nam quid aliud est παιδαγωγεῖν, ἢ πρὸς τὰς παιδείας ἀγαγεῖν. Ad hæc apud veteres scriptores, adultiores atq; seruiui, etsi grandiores, etiam pueri dicebãtur: vt apud Comicum. Puer eme mihi piscículos oboli in cœnam. Et Titum Liuium: tum Sotinius minister ex regijs pueris. Et Ciceronem ad Atticum: venit obuiam puer tuus: is mihi literas à te reddidit. Et ad Appium pulchrum: Hæc scripsi subito, cum Bruti pueri mi Laodiceæ conuenissent, & se Romam properare dixissent. Quo sensu Bedam Anglosaxonem dixisse pueros, non solum vetus patriæ mos, sed etiam vetus eius temporis Saxo Bedæ interpres docent. De more patriæ, certiorem te quidem facient, quæ paulo ante de ijs qui scholas Eltuti, Tathei, & Dubritij frequentarunt, diximus: ad quas ex omni parte totius Britanniæ scholasticos venisse, non tantum rudes, sed & sapientes

Ratio nominis pueri.

& Doctores, ex Benedicto Claudiocestrensi, & vitis sanctorum Wallensium retulimus. Saxonicus vero interpres Bedæ, pueros eo loco interpretatur cnihtas andgeonge menn: hoc est, discipulos & iuuenes: quo modo & sensu Christus suos Discipulos cnihtas Saxonicè vocat. Apponam ipsa verba Saxonica Bedæ historiæ, de Sigeberti schola instituta: quo tibi ipsi credas, & non mihi.

cnihtaſ ⁊ ȝeonȝe menn.

ꝑæꝛ he (ꝛiebꝛyht) ȝodmann ⁊ æꝓæꝛt.ꝛe æꝛ in ȝallia ꝛice ꝓulꝓiht onꝓenȝ. Da ꝓinode he þ̄ liꝓ onhẏꝛniȝan de he pell ȝeꝛæt ȝeꝛeah in ȝallia ꝛice. ⁊ he ꝛceole ȝeꝛette. ⁊ on dæꝛe cnihtaꝛ. ⁊ ȝeonȝe menn ȝeꝛette ⁊ ȝetẏde ⁊ læꝛde. ⁊ ꝓelix ꝛe bẏꝛceop him ꝓultumode. done he æꝛ on centnam. ⁊ he him laꝛeopaꝛ ȝeꝛette æꝓteꝛ Cantꝛaꝛa deape. *Hoc est.*

Traducta ad verbum.

*Fuit ille Sigebertus bonus vir & religiosus, qui ante in Galliæ regno Baptismum suscepit. Tum voluit ille eam vitam sequi quã ille benè constitutã vidit in Galliæ regno. Et ille scholam posuit, & in ea discipulos & iuuenes posuit tũ instructos tum doctos. Et Felix episcopus illum iuuit, quem is ante in Cantia cæpit. Et hic illis doctores posuit, secundum Cantuariorum morem. Quod si adultiores fuisse cum pueris mixtos nullo modo placeat, at saltem tales pueri Cantabrigienses illi per initia Sigebertina sunto, quales Oxonienses illi erant, quos Aluredum congregasse atq; aluisse paulo ante ex Asserio scripsimus, cum de Aluredi schola in singulari diximus, si eam ad Oxoniensem scholam referremus: quò minus glorieris ac triumphes. Quid quæso de Academiarum quantumuis illustrium ac celebrium sentis initijs? sic ne constitutas existimas vt nundinæ ac fora publica? An tales fuisse putas in initio, quales hodie sunt? Nonne arbitraris etiam his suas fuisse infantias, incrementa, atq; iã tandem*

Academiæ per incrementa grandes.

tandem ſtatus? Vin omnia conſummata primo die? Non credo. Proinde mirarer certè tam miram fuiſſe Oxoniẽſium turbam in principio, niſi eius rei author Polydorus addidiſſet, eſſe cæpit. Nam vbi prius nulli erant, cum plures eſſe cæperũt, in magna paucitate mira multitudo reſpectu videbatur: niſi ſi Cricladenſes cò turma tranſlatos (quod non fateris) vno die dixeris: quos tunc aut nondum fuiſſe, aut eſſe deſijſſe, mox paucis edocebo. Sic tamen Polydorus iſta ſcribit, vt non abſolutum quid et omnibus ſuis numeris p̃fectum Gymnaſium, vt Oxonienſis vult, Aluredum poſuiſſe ſentiat, ſed fundamenta tantum iecisse dicat. Libro enim Angl. hiſt. v. ſub finem ſic ſcribit. Cæterũ Aluredus poſtq̃ in regno ſuo literarum fundamenta iecerat, bonis moribus augendis intentus, tulit ſanctiſſimas leges. At ſi à paruis initijs per incrementa celebres euaſiſſe Academias, vt credere fas eſt, dixeris, ſpero te mihi facile conceſſurum, etſi per initia ſchola Grammaticalis fuerat Cantabrigienſis Academia

Oxonienſium numerus in principio.

(quod non fatemur) ante tamen Aluredi tempora 265. annorum secundum Polydorum curriculo, in celebrem eam creuisse Academiam: posito iam argumenti causa, sed non concesso, Cantabrigiensem scholam à Sigeberto constitutam. Quod si vno tantum anno, aut eo minus ante Aluredi regnum factum sit, aut in regno modo ante. xxiij. regni sui annum fuerit, (nam eo anno constitutum Oxoniense Gymnasium Polydorus scribit, etsi tu primo aut secundo summum anno dicis) non negabis credo Cantabrigiensem scholam etiam ante vestram fuisse Academiam, & ob id antiquiorem: maximè quod ipse tu diuersum, paradoxon videri recte dicis in commentarijs. Quod tamen ne videatur, flectis non rem (nam nequis, semper enim fuit à principio Academia) sed orationẽ à Gymnasio ad scholam: quã nihilominus ante Aluredi tempora fuisse Academiam, ex chronico sancti Suythuni quoque scire licet, in quo de Edwardo

Cantianæ scholæ.

» seniore Aluredi filio sic scribitur. Iste rex
» insignis reparauit vniuersitatem Canta-

brigiæ

brigiæ à Paganis( videlicet Danis )com- »
bustam. In quo loco Vniuersitatem, non »
scholam Grãmaticalem legis: & eam re- »
paratam, non iam tum primo institutam. »
Et quamuis Cantabrigiensi Academiæ, »
tanq̃ scholæ Grammaticali Cantiana tri- »
buas initia, maiora certè & celebriora q̃ »
pro opinione tua, aut q̃ velles, qui puerilia »
constituis, largiris. Siquidem, etiam in »
Cantianis scholis floruisse græcas latinas- »
que literas, atq; etiã Philosophicas, Me- »
tricas, Geometricas, Arithmeticas, atq; »
sacras, Clarissimósque doctrina viros, & »
Beda eccl.hist.lib.iiij.& Gul.Malm.& »
hist.magna Iorenall. testes sunt. Etenim »
quo tempore Theodorus Archiepiscopus »
Cantuar.natione Græcus, & Adrianus »
abbas, paragrata Insula quaquauersum »
vbi gentes commorabantur, scholas sacra- »
rum et sæcularium literarum instituebãt, »
magna scientiæ studia floruerunt in An- »
glia, scribẽte Thoma Stubbæo seu Stobæo
qui sub Edwardo tertio claruit. Ex horũ
discipulis( quos Beda Latinam Græcãq;
linguam æquè vt propriam nouisse tradit)

instí-

institutus Beda adolescens est, authore eodem Stobæo, intérque sexcentos viros scientia & integritate vitæ claros, edoctũ fuisse, idem quoque author est Stubbeus, quod ideo extitisse Cantabrigiæ intelligo, quod referente Lydgato ex Beda & Alfrido, ad eorum memoriam prima fuerit vniuersitas, vt & Bedæ ætate quoque. Nam qui Bedam vocauit Romam Sergius primus, idem scripsit ad Academiam Cantabrigiensem, quam vniuersitatem vocat. Ad hæc, sunt qui scribant (vt alio loco diximus) Bedam fundasse Cantabrigiam, quod reuocatis scholasticis & doctis viris, concussam prius externis iniurijs Academiam suo tempore fecerat celebrem. Erat enim sub Bedæ temporibus desolata quidẽ, sed nõ inhabitata, hoc est habitatoribus destituta (vt quidam addunt ex suo) ciuitatula, quam alij Bedæ interpretes Saxonici Grãtam, plurimi Granteceſtre vocant in eccle. histo. lib. iiij. cap. xix. Quibus verbis Henr. Huntudonensis, & Ranulph. de antiquis vrbibus, Cantabrigiam significari scribunt.

bunt: quò minus credas Grãmaticalem fuisse schol㈠ ab initio. Imo quò scias Cãtabrigiam iam olim fuisse Academiam, etiam longè ante Sigeberti tempora, memineris eorum quæ ex Honorij indulto adduximus, & de præcedente scriptorum velut acie, ducibus regibus atq; Pontificibus, ne orator cum nigro codice solus in acie, vt tu dicis, relinquatur, diximus. Neque id te prætereat, Polydorum Vergilium Angl. hist. libro quarto omni populo indubitanter tradere, postq̃ scholas Sigebertus posuit, breui multos mortales doctissimos euasisse: Floruisse dein Cantabrigiense Gymnasium bonarum omniũ disciplinarum cognitione perpetuò. Ex quo Polydori loco scire licet, etsi paulo ante dixerat, vt pueri ab ineunte ætate erudirentur, eo puerorum sensu quo nos dixisse Bedam iam ante explicuimus, sensisse tamen & Gymnasium fuisse, & breui celebre, & omnium artium professione in eo initio clarum. Quare nolo amplius in argumento friuolo operã ponere non necessariã, quod hactenus, vt dixi, ꝑsecutus sum

ex

ex epimetro, vt rationes tuas ostendam inanes, non q̃ necessariam operam hic impendẽdam censeam, cum principio omnia argumentorum tuorum fundamenta sustulerim, cum Bedæ loci sensum de Sigeberti schola tibi ademerim: ne quid mihi deinceps obijcias, si quid sit quod istic tibi parum placeat. Nam scio fastidientis stomachi esse, cum pauca degustet, plura reijcere.

Par numerus Cantabrigiensium & Oxoniensium.

De numero autem scholasticorum, quẽ mirum & innumerum fuisse scribis, mirũ quid sanè dicis: nec credimus nisi rem nobis patefacias. Magnum fuisse aliquando numerum, sed Cantabrigiensiũ non maiorem, iam ante dixi ex Maiore. Si adhuc maiorem putas, quod certe potest, ex quo authore dicas opiem. Nam de incredibili numero Anglorũ Oxonij studẽtiũ, cũ adhuc floresceret, nusq̃ lego alibi. Accessionem fuisse grandem hospitum scholasticorũ ex Gallia regnante & alliciente Henrico .iij. ex Io. Tilij Galli chron. lego.

» Scribit enim diuum Ludouicum ãno regni sui sexto, & anno dñi 1232. restituisse scho-

ſcholam Pariſienſem, quæ propter motus, »
iniurias, atque cædes ſcholaſticis illatas »
(cuiuſmodi iam nuper anno domini 1565 »
idem perpeſſi ſunt) dilabebatur, atque à »
rege Anglo Oxonium pellicebatur. Ita- »
que ſi quis immenſus numerus eſſet, eo tẽ-
pore fuiſſet & ea ratione, eoq; magis, quòd
Galliæ proximius multò Oxonium eſt, q̃
Cantabrigia. Alioqui, cum vtriq; A-
cademiæ vt ſuæ ex æquo rex faueret, non
video cur Oxonium magis quàm Canta-
brigiã Lutetianos rex alliceret. De Can-
tabrigienſis autem Academiæ numero,
iſtud lego apud Ioſfridum Croilanden-
ſem veterem hiſtoricum, regnante Hen-
rico primo, doctiſſimo illo Principe, fuiſſe
Cantabrigiæ tantam ſtudentium multi-
tudinem, vt non ſcholæ, non vaſta hor-
rea, non templa potuerunt capere litera-
rum ſtudioſos, cum publicas lectiones fre-
quentarent : fuiſſéque coactos literarum
profeſſores ob ingentem multitudinem ſe
diuidere, & variis locis ſeorſum prælege-
re, ad formam Aurelianenſis ſtudij, vt
Ioſfridi verba referam. Quod ſi per ini-

tia

tia plures fuisse dicas Oxonij quam Cantabrigiæ, non credam facile: quòd per initia Cantabrigiensis Academiæ, haud scio an aliud fuerat in vniuersa Britannia Gymnasium: vt quod antiquissimum sit. Nam & longe ante Bannochorense, positum est, quod Lucij regno inchoatũ fuit: & ante Carleonense, quod Arthuri temporibus fuit constitutum: quæ post Cantabrigiam vetustissima erant, quæ aut fama aut historia celebrata sunt, relatu saltem digna. Non enim de Eltuti, Tathei, aut Dubritij Gymnasiolis iam sermo est. Quamobrem necessum fuit eò ex omni regno, ex omni insula confluere. Sed regnet per me vestra vtriusq; Academia, atq; floreat, tũ præstantia, tum dignitate atq; numero, verũ suis tamen principijs & antiquitatibus, quòd velim suum cuique tributum. Illud miserum, fuisse olim innumerum: vt & Milesios fuisse olim strenuos. Nam vt Seuerinus Boetius censet, in omni aduersitate fortunæ infælicissimum genus infortunij est, fuisse fælicem.

Banoch. & Carleonen. Gymnasij initium.

Cãtabrigiam vndiq; vẽtum.

Sed

Sed fuisse à principio scholas Cantabrigienses Academiam, satis. Pergis demõstrare ante Sigeberti tempora non fuisse institutam. Asseris enim ex eo vno constare posse Cantabrigiensem Academiam ante Sigeberti tempora non fuisse conditam, quod Gregoriano decreto sublata fuisset, vt erant Stamfordiensis & Legionensis Academiæ. Sed hoc vt Lelandicum est, sic mihi non fit verisimile: Tum quòd Rogerus Boulus, vt & Cantabrigienses commentarij tradant, Cantabrigiensem Academiam magnam cladem pertulisse, quia Pelagianos oppugnauerat: Tum quòd Ioannes Lydgatus, nõ contemnendæ authoritatis vir, scribat, Cantabrigiam ἀρχαίως ἐχούσαν (vt cum Demosthene loquar) catholicæ religioni semper fauisse (vt & Polyd. Angl. histo. lib. v.) nec vllis scismaticis aut hæretecis prauitatibus aliquando corruptam esse. Ex quibus colligeres, Cantabrigiense Gymnasium conseruatum atq; stabilitum potius Gregorij decreto, quàm sublatum esse: quicquid de Stamfordiensi, aut Legionensi,

Cantabrigia interdictis nõ sublata.

gionenſi, aut etiam Oxonienſi (quam tu multis annis ante decretum fuiſſe, ex hiſtoriola veſtra ſcribis) actum ſit: Cuius vnas acerbas (de quibus conſtitutiones prouinciales) nolo iam honoris cauſſa grauius premere, ſed conſultò præterire. Imo prouiſum longè ante fuerat authoritate Eleutherij & aliorum Romanorum Pontificum, quorum Honorius in diplomate meminit, ne qui Epiſcopi, né uc quis vel delegatorum generalium vel ſpecialium Romanæ ſedis, Academiam Cantabrigienſem ſacrificijs interdiceret. Ego Oxonienſem ſcholam quod tunc temporis nõ extiterit, tutam fuiſſe plane exiſtimem, cum decretum Gregorianum anno Dñi 727. tempore Gregorij ſecundi promulgatũ ſit, et Oxonienſis ſchola anno verbi incarnati 895. ex ſententia Polydori fundata ſit: idq; .xxiij. regni ſui anno, non primo aut ſummum ſecundo, vt tu (Oxonienſis) exiſtimas. Quod illud eo probabilius eſt, quòd primis annis bellis vacabat Aluredus, quòd et tu non diffiteris, & ego mox commemorabo. Et quemadmodum

modum ex historia magna Iorenallensi, ex Geruasio Tilberiensi, Monemutensisque libro septimo de Historia Britonum intellexi, in Ciuitate Carleonensi amænissima olim Vrbe, fuisse Gymnasium Philosophorum, regijs (Arthuri) sumptibus instructum, quod liberalibus artibus eruditum, cursus stellarum rimaretur (vt Tilberiensis verbis vtar) et Arthuro futuros euentus prænunciaret, sic alijs de caussis, vt belli & vetustatis, eam, vt & alias antiquas Academias, non interdictis sublatam existimem. Etenim in historia Roffensi sub anno salutis 727. in historia maiori Matthei Parisij, & Floribus Historiarum Matthei Westmonasteriensis qui eũ imitatus est, scriptum sit, Episcopos Romanos interdixisse, non sustulisse Academias, sustulerunt vitia non scholas. Neq; enim tam crudelis Iupiter erat vt Vulcanum de vita tolleret, quòd opem tulerit Iunoni rixanti cum marito, sed crus illi tantum fregit, & de cœlo deturbauit in Lemnon: atque ita castigauit. Hom. Iliad. 1. & Phurnutus.

Quod si quæ interdiceretur, eadem tolleretur, etiam Oxoniensem Academiam Otho sustulit, cum ab ea malè habitus et tractatus, & in campanile Osneiensis monasterij se recipere coactus, ob perpetratũ facinus interdixerat : vniuersumq; regnum Angliæ Ro. Pontifex sustulisset, cũ regnãte Ioanne id sacrificijs interdixerit. Et tum quoq; sublata Oxonia fuisset, cũ exosi propter interdictum homicidæ (vt paulò ante retuli) extra vrbem suspendio
» sunt affecti. Sed historiæ verba referre
» præstat. Erant (inquit) doctrina & schola Anglorum à temporibus sancti Augustini per Ro. Pontifices interdictæ propter assiduas hæreses, quæ in aduentu Anglorum in Britanniã emerserant, dũ Pagani Christianis permixti, sanctæ conuersationis gratiam, & christianam fidẽ corruperant. Hæc Roff. historia. Neque consequitur necessariò, si Legionensis & Stamfordiensis scholæ interdicto tollerentur, vt & Cantabrigiensis quoq; tollatur, non magis quàm sacrificijs interdicta ab Othone Oxoniensi schola, Cantabrigiense quoq;

sequoq3 Gymnasium, aut Bãnochorense, si supereßet, interdiceretur. At si consequitur, dicat Oxoniensis qua Dialectica. Quod si non Gregorij secundi sed primi decreto sanxitum scribat, vt videtur, eadem ratio & consequentia manet. Ad hæc, si Ioan. Hardingus in epitome chronicon dicat, ad Augustini tempora permansisse Samfordiense, vt ille vocat, si vicioſus codex non sit, seu Stãfordiense, vt hodiè, Gymnasiũ, & postea propter hæreses interdictum, studio tamen fuisse à Ro. Pontifice sublatum non dicit. Imo suo studentium vitio desertum potius credendũ est, quàm à quoquam suppressum. Vt qui cum dispersi semel, aut ea, aut alia occasione, suâ ue culpa essent, amissis profeßoribus, nunq̃ redeundi studium fuit, cum nunq̃ essent reuocati: vt hoc genus hominum rei suæ quantumuis precioſæ, nescio quo fato minimum sit intentum: etsi ab Horatio didicerit, nec regna viri sortiere talis. Vsq3 adeò ouiũ nulla vtilitas, si Pastor absit: stultum pecus, et sibi inutile, nisi Pastoris cura succurrat: cereum in vi-

Scholastici sibi inutiles.

tia flecti, monitoribus asperum, vtilium tardus prouisor, prodigum aeris, gaudens auibus, equis, canibus, & aprico gramine campi, sic vt scias non posse iam istiusmodi, vitae suae habere modum, nisi pastor adsit. Mel recusat propter apes, & Moly florem lacteum, propter radicem nigrã, hoc est, animi veram tranquillitatẽ, virtutis absolutae praemium, propter laboris leuẽ molestiã, vt Homerus innuit. Multum tamen sapientiae sibi tribuit, & vulte ante barbam docere senes. Quae caussa est etiam cum absint bella, intermittendi studia multis Academijs, vt multis ex Iusto exemplis videre licet. Itaq; non obstãte eo decreto Gregoriano, Cantabrigia permansit integra. Neq; legi aliquando eã sacrificijs interdictam à Ro. sede, nec ob id dispersam aliquando aut sublatam. Imo id legi apud Polydorum Angl. hist. lib. iiij. iam inde à Sigeberto Cantabrigiae Gymnasium bonarum literarum cognitione floruisse perpetuò. At si sublatum demus interdicto, longè aliud subsequetur q̃ pro argumento tuo. Nam quod sublatũ

fuit,

fuit, prius fuit. nihil enim tolli potest, quod non ante fuit. Quod si prius, quid ni & ante Sigeberti tempora, etsi de sublato Gymnasio nulla sit recordatio. Alias antiquas Academias dixi, propter Bãnochorensem illam (quam hodie Bangorensem dicimus) quæ sub Lucio (cuius regni initium fuit anno dñi 156) inchoata, postea à Congello Bangorensi in Monasterium Monachorũ mutata fuit, cum ãnos 350. perstitisset, vt Guolphg. Inst. refert. Hæc ab vrbe aberat mille passibus (vt audio) sicuti olim Atheniensis Academia, quæ in agro Atheniensi Loco syluoso, vt Horatius ait, posita, mille passibus ab vrbe distabat, vt & multa alia Gymnasia, Philosophorum sectis extra vrbem constituta, quorum omnium illustrissimum fuit Academicorum. Gaudebant Musæ syluis atq; aquis. Eam ob causam Dubritius istic in Britãnia Gymnasium suum loco vtriq; accommodo posuit.

Bannochorense studium.

Athenienfis Academia.

A censuris ecclesiasticis vindicata iã Cantabrigia, transitus est ad quosdam egregios & doctos viros Cantabrigienses,

Fons literarũ Oxonienſibus Cantabrigia.

Oxonium per Aluredum translatos, ad statuendas atq; exornandas scholas Oxonienses. Quod vt tu verisimile quidem esse dicis, ita vanum existimas: etsi non solum historiola Cantabrigiensis, sed prafatio quoq; docti in primis viri in sacrum vetusq; testamentum, Anglicè ante annos trecentos cõscriptum verissimum esse docent, quo loco iste potissimum in prafatione tradit, Aluredum transtulisse psalmos, & Bedam vniuersam ferè Bibliam in linguam Britannicam conuertisse. Et quid ni? cum Richardus Diuisiensis author grauis atq; vetus, in epitome rerum Britannicarum scribat quoq;, Pendam Merciorum regem, Cantabrigiẽses Cricladum transtulisse: vnde translatos Oxonium, historiola Cantabrigiensis docet, vt & Oxoniensis quoque Lelando teste. Sed ne res incredibilis tibi videatur, ipsa » Diuisiensis verba ascribam. Kinegilphus » filius Celrici rex Westsaxonum, Pendam » regem Merciorum deuicit. In tempore » istius regis, Penda rex Merciorum institu » tuit studiũ generale ex Cantabrigiæ Philosophan-

Cricladense studium ex Cantabrigiensibus.

losophantibus, & Doctoribus in ciuitate »
Eretenensi, quæ nunc dicitur Crekelade. »
Hæc Diuisiensis. Vbi forsan legendum ℟
Eretenensi, Erudinensi. Nam de antiquo nomine variant codices: alijs Eridunensi, alijs Erudinensi, vetustioribus Eridamensi & Eridemensi referentibus. Quẽadmodum de Crekelade quoq; nomine, Gualtero couentrensi et id genus alijs antiquis scriptoribus, Criclade & Kirclade & Crikklade: recẽtioribus, Crekelade et Criclade & Græcolade nominantibus: cũ tamen Lelandus scribendum tradit, non Græcoladum, quòd vanum existimet ex Græcis ortum, sed Crekeladum, quòd vocabulum merè sit Saxonicum. Vtcunque sit, hæc adduco quo minus tu vt vanum eleues, atque tuo more eludas, quod est non solum verissimum, sed etiam fatale propemodum Oxonienſi Academiæ. Etenim anno Domini 1524. quo tempore conderetur Cardinalis Wulsæi collegium Oxonij, quod hodiè Christi & Frediswidæ collegij nomen habet, ad eius institutionem atque ornamentum multi præ-

Collegiũ Cardin. Wulsei.

clari viri Cantabrigia ampliori premio sunt asciti, & ex omnibus eius collegijs selecti quiq; eò translati. Inter quos (vt ex multis paucos referam) Reuerendus pater Rich. Coxus, episcopus hodie Eliẽsis, erat: Io. Friar, insignis nostri temporis Medicus. Henr. Sumner, & Io. Clerke, eximij Theologi. Gul. Bettes, Nic. Hermã, Rich. Tauerner, Flor. Dominican⁹, Io. Drũme, Io. Akars, Io. Frythe, & aliquot alij probi viri, liberalibus scientijs cũ primis eruditi. Rogati quoq; erant per Rob. Shirton, Aulæ Penbrochianæ præpositum, atq; ad hoc internuncium, Reuerendiss. Matheus hodiè Cantuariensis Archiepiscopus, & Ioannes Scippus, Herefordiensis dudum Antistes: viri suo tempore apud Cantabrigienses ingenio, doctrina, authoritate, & rerum vsu longè clarissimi: atq; ad hos Tho. Cranmerus, episcopus & ipse nuper Cãtuariẽsis, nisi aliter illis persuasum fuisset ab amicis. Mitto Gual. Haddonum I.V. Doctorem, virum & humanitate & eloquentia clarũ, qui vt Magdalenensi collegio præsit, Cantabigia Oxonium

Cantabrigienses translati Oxonium.

R. Matt. Cantuar. & Ioan. Scippus Heref.

onium auocatus fuit anno salutis 1533. Sed primos illos si in vestram Academiam ascriptos aut non memineritis, aut negaueritis, & hos quoque Oxonium vocatos esse, tempus & obliuio negabunt, etsi recens memoria verissimum esse affirmet, & Drummi fama id vsq; personet, nisi monumentis conseruentur. Quamobrem non est cur hic repugnes, ô Oxoniensis. Sed quid dico literatos viros Cantabrigia ad vos translatos, cum & collegiorum quorundam vestrorum fundatores Cantabrigienses habuistis. Etenim Richardus Foxus Penbrochianæ Aulæ Cãtabrigiæ Alumnus (cui præciosa Aulæa vulpis imagine insignita discedẽs dono dedit) Corporis Christi collegiũ Oxonij ædificauit anno Domini 1516. & possessionibus. 401. librarum. viij. solidorum & .xj. denariorum annui reditus donauit. & Tho. Rotheram Cantabrigiensis Cancellarius, episcopúsque Lincolniensis, secundus fundator Lincolniensis collegij: atq; vt quidã censent, etiam Gul. Smithe episc. Lincoln. vnus conditorum ænei nasi collegij

Cantabrigienses fundatores collegiorum Oxonij.

Gul. Smythe Aulæ Penbro. in art. inceptor Cantabr. anno dñi 1489.

collegij apud vos fuit. Demum quo minus indigneris, Nicasius Cadneus de aduentu Iulij Cæsaris & Cadwalladrus Rex, cuius antea memini, è Cantabrigia Doctores & Poëtas totius Europæ (in qua est Oxonium) progressos esse tradũt, non tantum Oxoniensis Academia. Richardus Crocus quoque (quem Erasmus Rother. in epistola ad Linacrum, & Ioachimus Camerarius in narratione de Helio Eobano Hesso tanti faciunt) in secunda oratione sua ad Cantabrigienses, Oxonium Cantabrigiensium Coloniam esse scribit. Quid multis, Aluredus vester in epistola ad Werferthum, exteros olim à Britannis bonas literas petijsse cõmemorat. Iulius Cæsar in comment. belli Gallici lib. vj. Gallos ex Britannia disciplinas hausisse primum dicit. Et quid incommodi foret (obsecro te) si Britanni à Britannis, incolæ ab incolis, recentior academia ab antiquiori literarum ornamenta susciperet? cũ ex quouis didicisse honestissimum sit: cumq; Edwardus senior in priuilegijs Cantabr. Academiæ con-

Rich. Crocus.

Alienæ scholæ Britannicis literis imbutæ.

concessis, matrem Philosophiæ, & fontem clerimoniæ esse dicat Cantabrigiam. Lutetia Parisiorum in prima institutione sua (et posteà etiã, cum Stephanus Anglicus Gymnasij Parisiensis decus floruit, & nostra ætate quoque cum Rodolphus Baynus Anglus, Cantabrigiensis gymnasij alumnus, episcopus posteæ Lichfeldensis & Couentrensis, vir melior an doctior nõ facile dixerim, hebraicas literas regio stipendio Lutetiæ publicè docuit) à Britannis discere non erubuit. Id quod Rupertus Gaguinus Gallus in Annalibus non dissimulauit, & Tho. Morus Britannus diligenter aduertit. Ita tamen Oxoniensis insolescit, vt subsidiarios per initia amicos atq; socios, imo potius omnis doctrinæ authores, non agnoscat, fastidiat. Verba Thomæ Mori excellentis ingenij & doctrinæ viri, ex apologia pro Moria Erasmi ad Martinũ Dorpium de Iacobo Fabro Parisiensi, quem velut restauratorem veræ dialecticæ & Philosophiæ Aristotelicæ fæliciora ingenia sectabantur, hæc sunt. Per eum „

Cantabr. fons Cleri.

Rodolphus Baynus.

Tho. Morus.

virum

» virum Lutetia gratiã nobis referre quo-
» dammodo accepti olim beneficij videtur,
» cum per eum apud nos disciplinas instau-
» ret, quas ipsa à nobis initio acceperat.
» Quod vsq; adeò in confesso est, vt id Gu-
» guinus quoq;, nec detractator Gallicæ lau-
» dis, nec buccinator nostræ, in Annales
» suos retulerit. Hæc Morus. Id agnoscit et
Pet. Ramus Gallus, Philosophus huius e-
tatis non ignobilis, in præfatione in Arist
» totelis Physica. Britãniã (inquit) vt Pa-
» risiensis Academia parentem exoscular.
Lypsensis quoque Academia Græcas lite-
ras ex Britannia acceptas per Richardũ
Crocum, Cantabrigiensem olim oratorẽ,
confitetur: vt Erasmus Rotherodamus
in epistola ad Linacrum, & Ioachimus
Camerarius in narratione de Eobano
Hesso testes sunt. Monasterium itẽ Ful-
dense bonas literas ex Britannia accep-
tas fert, quòd in eo prælegebat Rabanus
Anglus, vt Tritemius in chronica Hir-
saugiensis Monasterij author est, ex re-
cepta in Britannia consuetudine per Be-
dam inita, & per omnia totius Europæ
mo-

monasteria ordinis sancti Benedicti vsitata. Ingenuas artes ex Britannia haustas beneficio Marsilij de Ingelne Angli, professoris & rectoris primi, Heidelbergensis quoq; confitetur Academia, vt idem Tritemius libro de scriptoribus literis tradidit. Imo nec Patauium, nobile certe Gymnasium, à Britannis nostra memoria publicis scholis institui erubuit (quod vidi testor) nec Ticinum antiquis temporibus, vt alio loco diximus. Hæc si celebres viri atque Academia confiteantur, & cum gratia agnoscunt, Oxoniensis beneficium acceptum agnoscere dedignabitur? Amicos suos adiutores contemnet? socios ingratis modis atque odiosis verbis prosequetur, nulla facti gratia, nulla benemeritorum, nulla humanitatis ratione habita? Sed de ijs non licet copiosius dicere. Id te forsan Oxoniensis ab omni gratia dissuadet, quòd ex Francia, seu vt alij, ex veteri Saxonia, non Cantabrigia per Alphredum reuocatum Scotũ Gulielmus Malmesb. de regibus in vita Aluredi tradit.

At

At vnde is, quæso te, ante erat, q̃ bellicos tumultus fugiens (vt idem Gul. author est) in Galliam se receperat? Si non ex Oxoniensi Academia, quæ tum non erat, neque ex Carleonensi, Stamfordiensi, Bannochorensi, Crekeladensi, nec Latheladensi, quæ ante diu esse desierunt, necessario ex Cãtabrigiensi gymnasio fuisse censendum est. Nam in Scotia (vbi natus à Boetho dicitur) non fuisse per ea tempora academias certum est, cum legam in antiquis monumentis Cantabrigiensis academiæ, Edwardũ primum Angliæ regem ãno salutis 1270. instituisse, vt quinque Angli, tres Scoti, duo Cambri, & tres Hiberni ex grauioribus, ad pacẽ conseruandam in Academia Cantabrigiensi præficerentur, vt singulis gentibus aliqui ex suis moderentur. Vnde scire licet Scotos literarum gratia Cantabrigiam venisse. Neq; enim salsuginosa erat ea Scotis vicinia, vt habet Prouerbium, neque vt Aristophanis vtar verbis, ἁλμυρὸν γελόνημα. Etenim Ioannes Maior, homo Scotus, & historicus non incelebris, libro

Gymnasia Britannica.

Scoti, Cambri, Hiberni, Cantabr. studuerunt.

libro suo de gest. Scotorum primo, se quoque Cantabrigiæ in collegio Christi eruditum confitetur. At verò non ante annum dñi 1411. studium sancti Andreæ in Scotia, nec ante annum salutis 1480. Aberdonensem et Glasguensem seu Glasconiensem Academiam in eadem institutas esse, hoc est, multis sæculis post conditam Cantabrigiensem Academiam, Guolph. Iustus in Catalogo Academ. author est. Ex Gymnasio fuisse oportet qui honestas disciplinas, sapientiámq; venalem habuit, vt ioco inter mercatores Britannos solebat dicere, ob quas à Carolo magno humanissimè acceptus, honorificẽtissimè tractatus, & Papiensi scholæ præfectus fuit. Quapropter si à Cantabrigiensium schola Scotus primo promanarit, postq; literarum rudimenta in Westphalia & Hibernia, aut si mauis in Scotia didicerit, ac dein ad docẽdas literas Oxonium ab Aluredo sit vocatus, vt tu cõfidenter dicis, quo pacto negare ausus es, Oxonienses scholas Cantabrigiensium literis atq; ornamentis neutiquã floruisse? Scotica studia.

Ausus tamen es negare, atq; etiam regerere, Cantabrigiam ab Oxonienſibus petiſſe potius doctos viros, Ridleium & Craiſordum: quorum Ridleium iure veſtro Oxonienſem dicis, q; in veſtra Aula ſocietatem cooptatus ſit decimotertio Aprilis anno domini 1521. Sed Oxonienſes fuiſſe tam eſt verum, quàm ſunt cætera omnia quæ ſcribis: vt pace tua dixerim. Conſtat enim ex Annalibus Cantabrigienſibus Nicolaum Ridleium ſtuduiſſe in Aula Penbrochiana Cantabrigiæ, creatumq; eſſe artium Baccalaureum anno domini 1522. proximo videlicet anno q̃ tu electum ſocium apud vos fuiſſe dicis: & artium Magiſtrum 1525. Procuratorem Vniuerſitatis 1534. Baccalaureum Theologiæ 1537. et Doctorem Theologiæ 1541. Craiſordum etiã, Baccalaureum artium anno 1512. Magiſtrum artium 1515. Procuratorem Academiæ 1522. Procancellarium 1535. eodémq; ãno Doctorem Theologiæ. Quid ergo? Oxonienſes iſti? Adiſtum modum, quiſquis Cantabrigienſis apud vos fuerit

Ridleius.

Craiſordus.

fuerit vel spectandi gratia, Oxoniẽsis erit. Atq; hæc quidem vt ostendam Cãtabrigienses ab Oxoniẽsibus non mutuatos esse doctos viros, sed è contra Oxonienses à Cantabrigiẽsibus: Ioãnẽq; Erigenã fuisse Cantabrigiensem. Idq; eò magis q̃ Bedæ discipulus fuit, vt scriptores referunt, & vnus ex fundatoribus Cantabr. Acade. vt Freculfus: ideóq; Gymnasij vestri ornamentũ, quod tu à Cantabrigiẽsi aliquo doceri petis, vt sæpè facis quoties ignoras, & tempus protrahis vt cunctando meliorem fortunæ euentum experiaris, & ignoratione aduersarij non virtute tua subterfugias, et quasi victor euadas: quod tamẽ non es consecutus. Si Gernasius Dorobornẽsis in historia sua et ãno dñi 1151. scribat, Stephanum regem multa strenuè incepisse, pauca cum laude finiuisse, sic vt labor eius & studium sæpè emarcuit et elãguit, flore caruit atq; fructu, quid de tuis nec benè institutis, nec finitis benè (quod bona tua venia dixerim) Gernasius diceret, si in vitam is rediret? Sed fuisse plures vno illo Ioanne Scoto Cantabri-

gia Oxonium translatos (si eo translatus is est, & olim) & non multis retro annis, iam ante paucis explicauimus. Oxoniensis tamen benè secum actum existimat, si argutijs suis id possit consequi, nullum Oxonienses accepisse doctum à Cantabrigiensibus, si Ioannem Erigenam non acceperint. Sed qua Dialectica, viderit ille. Atque hæc quidem fuisse non affirmo, nam Ioan. Erigenam Oxonij docuisse non concedo, sed vt essent, per rationes eius stare posse dico. Quod autem de Ioan. Scoto dixi, de Rabano, Claudio Clemente, & Alcuino dictum puta, cum neque isti in Britannia suis temporibus alibi q̃ Cantabrigiæ absolutè edoctos, eadẽ ratione existimem. Quin & Polydorus quoque lib. v. Angl. hist. videtur indicare, Cantabrigienses Oxoniensis Gymnasij hortos sua doctrina irrigasse, cũ dicat.

» » Equidem ab eo tempore quo Sigebertus
» » Orientalium Anglorum rex, scholas in
» » regno suo extruxerat, deinceps fuere viri
» » semper in Insula eruditissimi, qui tanquã
» » doctrinarum riuuli ab illo fontè perpetuò

decur-

decurrentes, non modo Angliam, sed »
Galliam quoque mellifluo disciplinarum »
nectare irrigarunt. Etenim in Anglia est »
Oxonium. Quod ideò ex Sigeberti fon-
tibus sapiẽtiæ aquas hausisse oportet, qd id
posterius Cãtabrigia fuerit. Confirmatio-
nis loco id erit ex Iosfridi Croilandẽ. hist
in qua scribitur, totã Anglam factã fru.
giferam ꝑ plurimos magistros doctorésq; »
de Cantabrigia exeuntes ad similitudi- »
nem sanctissimi Paradisi. Proinde non »
malè scribunt qui Vniuersitatem Oxoni- »
ensem scholam secundam ecclesiæ putant,
nempè Anglicanæ, & fundamentum e-
iusdem, literis ecclesiasticis scilicet, post
Cantabrigiam. Nam aliud fundamentũ
ecclesiæ nec Cantabrigia est nec Oxoniũ.
Fundamentum enim aliud nemo potest
ponere præter Iesum Christum. Ex e-
isdem fontibus Oxonium bibisse, & illud
Polydori docet hist. suæ lib. iiij. Postquã »
scholas Sigebertus Cãtabrigiæ posuit, bre- »
ui multi mortales doctissimi euaserunt, flo- »
ruitq; deinde Cantabrigiæ Gymnasium »
bonarum omnium disciplinarum cogniti- »

one perpetuo. Quamobrem Anglia, q̃ postea claros semper doctrina viros tulerit, haud dubiè Sigeberto cum primis acceptum referre debet. Ad hæc, cum is ipse Polydorus lib. hist. suæ. v. scribat, Aluredum proposuisse mercedem omnibus qui publicè bonas artes profiterentur, et ea occasione multos confluxisse Oxoniũ docẽdi gratia enarret, vndè confluebãt Oxoniẽsis dicat? Ex monasterijs? hoc non esse verisimile mox docebo. Ex alijs Academijs? ex quibus? cum nullæ aliæ essent præterq̃ Cantabrigienſis per ea tempora, vt iam ante demonstraui. Neq; in toto occidentali regno, neq; in austrinis regionibus ad Thamesim vsque ne vnus quidẽ fuit, qui latine intelligeret, sic vt epistolã de Latino in Anglicum verteret, vel ipso Aluredo teste in epistola ad Werferthũ. Ex quibus Polydori testimonijs quid potest esse clarius, q̃ Oxonienſem ſcholam à Cantabrigienſi Gymnasio literas atque literatos accepisse. Quamobrẽ non esse video cur nolit Oxonienſis amicis Cantabrigienſibus gratus esse, & ob acceptas literas

Imperitia Aluredi tẽporis.

teras et literatos cumulatè gratias agere. Nec est certè quamobrem indignetur, cũ & Legionense studium, quod Oxoniensi multo est antiquius (prætereo Cricladen se, vt à Cantabrigiensibus ortum, quod de eo iam antè diximus) à Cantabrigiensibus cæpit augmentum: cum multi præclari viri Cantabrigienses, Lupo trecassenensi, & Germano Alticiodorensi episcopis (quos Britanni è Gallia contra Pelagianos in subsidium fidei christianæ aduocauerant, iuncti, post cladem à Pelagianis Cantabrigiensi Gymnasio illatã, ibi se firmarunt, & sacras literas, iuxtáq; liberales artes docuerunt. Ob quam causam, haud scio an hæc illa Cantabrigia sit & dicatur, quam ad Sabrinam positam Roffensis historia refert. Anno enim domini 896. sic in ea scribitur. Pagani »» noctu recedentes per prouinciã Merciorum, non cessabant donec ad villam super »» Sabrinam, quæ Cantabrigge dicitur, peruenerunt. Per Sabrinam, vscam intelligens (credo) quòd notior fluuius illa est, in quam se vsca recipit.

Legionense studiũ Oxoniensi antiquius.

Cantabrigia ad Sabrinam.

Non ex Monasterijs professores Oxonienses.

Sed in Monasteriorum scholis non in Academijs literatos viros per ea tempora edoctos dicis, & ex eis monasterijs venisse tuos, idque fulcis argumento non inani, vt tu quidem censes, q̃ docti ferè id attestati sunt. Atq; ita in lubrico antè solo vacillans, denuo iter suscipis, & non minori tamen erroris periculo versaris. Sed quid dicam periculo, cum errores tui, nec valde periculosi, neq; graues sunt. Etenim per summa & leuiter tantum fundati sunt. Periculosius errant (vt scribit Io. Sarisb. in Polycratico de Curialium nugis & vestigijs Philosophorum lib. ij.) qui in soliditate naturæ, & vigore rationis suum fundare videntur errorem, quod tu facis minimè. Sapis tamen, qui in secũda tua æditione, prioris sensum retractaueris, ferèq;, in ea cautè addideris, veritus alioqui ne in prima veritatem nõ dixeris: atque ita vbi Leonina pellis deficit, vulpinam insuis. At qui sunt isti docti viri (Oxonienses) qui temporum ratione habita hæc affirmant? Quasi verò sub initio regni Aluredi (quo tu Oxoniense Gymna-

Gymnasiũ constitutum asseris) omnia essent monasterijs plena, omnia monasteria doctis occupata: Cum tamen constet ex Asſero, Gul. Mal. & alijs antiquis historicis, Danos euertisse omnia, monasteria, ecclesias, bibliothecas, oppida denique et quid nõ: ita vt vix quicq̃ supereſſet integrũ & incõcussum: vt et labor ingens Alphredo et insequẽtibus principibus fuerit, noua reponere, et vetera reficere. Ex eisdẽ scriptoribus & illud quoq; constat, doctos viros in fugam se per ea tempora coniecisse, quòd formidabant magis capitis periculum, quam sequerentur librorum exercitium: vt Gul. de regibus ex lib. ij. verba referam: adeo vt vix vnus supereſſet p omne occidentale regnũ & australes Insulæ partes ad Thamesim vsq;, qui sic latine sciret, vt epistolam Latinam in nostrum sermonem rectè transferret, vt ex ipso Aluredo iam antè nos retulimus. Vndè scire licet tam esse verisimile Ioannem Erigenam accitum esse ad studium Oxoniense è cœnobio Meneuensi, quàm est illud, eum à suis discipulis inter legen-

dum graphijs fuisse occisum : de qua re paulo post dicemus. Etsi sunt qui ore rotundo, & magna historiæ constãtia & grauitate ista tradant. Quod si in Monasterijs essent literis educati, aut in celebrioribus, aut in minoribus obscurioribúsq; id fuisset. Si in celebrioribus, aut in Monasterio S. Petri & Pauli Wermuthi Beda claro, aut Bãnochorensi, aut Horniggesseyensi, tribus passuũ millibus Cantabrigia distante, essent. Quod vltimum, regalis dignitatis monasterium fuisse, & non paruam Clericorum congregationem habuisse, historia Eliensis testis est : quæ sic incipit. Anno ab incarnatione dominica 116. qui est annus. xxj. ex quo Augustinus cum socijs ad prædicandum genti Anglorum missus est &c. quod idcirco adiungimus, q̃ author nomen non apposuit. Nam de celebrioribus ea ætate qua ista floruerunt, nõ lego. At vbi ista erant regnum inchoante Aluredo ? A Danis, qui ãnis. xxv. ferro atq; flamma Britannos fatigassent, prorsus attrita & deiecta. In Bannochorensi

Monasteria celebriora.

rensi autem cum steterat, non nisi magna si diuis placet, potuit esse eruditio, cum monachi, qui per ea tempora erant 2100. in septem classes per centurias tres diuisi, quibus singulis singuli præficiebantur rectores, vt Beda eccl. hist. gentis Angl. lib. ij. & ca. ij. docet, operi faciundo magis q̃ euoluendis libris erat intenti, vt idem Beda, & Ranulphus lib. hist. v. manifestè docent: etsi vnum solum Gildam feliciori tempore & ingenio aliquando eruditum: sed longè ante Aluredi tempora. Bannochorenses Monachi.

Verum si in minoribus monasteriis maiorem doctorum copiam fuisse dixeris, Monasteria minora.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo?

Et cuiusmodi erant ea Monasteria? An talia fuisse putas qualia erant nostra memoria illud Sãctæ Trinitatis Norwici in Norfolcia, aut Sancti Albani propter antiquissimos Vrbis Verulamij muros in Hertfordiæ prouincia, aut magnificum illud S. Augustini Cantuariæ in Cantia, aut S. Suithuni Wintoniæ in Wiltonia, aut in Suffolcia illud S. Edmundi Buriæ,

*Buriæ, aut illud Redyngæ, aut beatæ Mariæ Glastoniæ, multáq; alia in Britannia, quæ propemodum ciuitates æquabant, opere sane mirabile structa? Cum quibus nulla Monasteria nostri orbis potuissent conferri, aut esse æqualia. Certè credo te negaturum. Nam istiusmodi nulla erãt ea ætate. Creuerunt enim successione temporum. An qualia ergo illa Edgari, grãdia scilicet, quorũ. xlvij. dicit se extruxisse, pollicitus quinquaginta, vt alio ante loco diximus? An cuismodi illud Aluredi potius Ethelingiæ positũ (cuius generis omnia fuere in principio, nam maiora ætas fecit p incremẽta vt dixi) quod sic discribit Gul. Malm. lib. de Pontif. v.*

Ethelingiæ Monasterium.

» » *Quatuor postes solo infixi totam suspen-*
» » *dunt machinam, quatuor Cancellis opere*
» » *spherico in circuitu ductis. Sunt ibi Mo-*
» » *nachi pauci numero & pauperes, sed qui*
» » *ægestatem suam quietis & solitudinis a-*
» » *more vel magni pendant, vel consolentur.*

*Hæc Gul. Malmesb. In quibus si doctes fuisse dicas, vt in isto Ioannes Erigena, illud meminisse oportet, non hinc edoctum*

auocatum Oxonium, sed aliunde instructum, huc ab Aluredo ascitum. Quæ res certè minimum facit ad tuum institutũ, imo aduersatur plurimum. Quod si istic erudirentur, vnde instrumenta vitæ & literarum in tanta ægestate? At si concedã in monasteriys claros fuisse viros, non per ea tamen Aluredi tempora: non quales in Academiys esse solent, nec quales hi erant, quos ex Cantabr. Academia ortos dixi. Siquidẽ non ea vniuersalis scientiarũ professio in cœnobiys quæ in Academiys fuit, etiã ne tum quidẽ cum floruerunt maximè. Etenim in illis triuialis tantũ scholæ fundamenta et literarum seminaria iacta sunt potius, q̃ variæ solidæque scientiæ: atq; sacrarum literarum, q̃ humaniorũ et liberaliũ scientiarum scholæ positæ, & eæ priuatæ magis quàm publicæ: & commodiori tempore quàm Aluredi. Itaq; παρὰ μέλος ista, vt dici solet. Tu tamen quasi in re certa, doctis id ferè attestantibus, vt ais, argutè pergis, exemplisq; agis, atq; Ioannem Erigenam (quẽ Scotum vocas) ex Menenienſi monaste-

Ioan. Erigena non docuit Oxonij.

rio

rio per Alphredum in Academiam vestram euocatũ dicis, qui in ea primus docuit, vt Baleus in Erigena sensisse videtur, à quo videris ista mutuatus. In cuius rei confirmationem profers Ranulphi Cestrensis ex libro sexto testimonium, in prima editione tua solo Baleo contentus, atq; illum quãtumuis inuitũ & repugnãtem, cogis in testimonium, cuius hæc verba profers. Ioannem Monachum (Erigenã te intelligere scribis) de vltimis Walliæ finibus, è monasterio S. Dauid Meneuiæ ad se vocauit. Sed hæc tua ratio aliud nihil est q̃ vmbra volitans, q̃ λῆρος ἢ φλυαρία. Nam primo, non fuisse ex eo Monasterio factum sapientem, & indè propter doctrinam Oxonium auocatum, iam ante demonstratum est. Quod autem ad testimonium attinet, non videris sanè id citasse bona fide atque integrum, sed dolo malo atque mutilum, vno atque altero vocabulo quod sermonem expleat, nempè, vt literis instrueretur, prætermissis: speciem quidem probationis præferẽs, probãs autem minimè, florens quidẽ sed non fruc-

fructificans: dolo atque astu, penè dixi, vsus (οὐ γὰρ ἐπιγλωττήσομαι) solita tua rhetorica in mala caussa, quæ sterilior est q̃. vt vllam veritatis faciem præ se ferat, nisi fucis artibúsque commendetur. Quibus rebus opus est vel maximè, q̃ putre sálsamentum amat origanum. Si enim ad eum modum referres Cestrensis locum quo ab eo scriptus est, caußam funditus euerteres. Quod vt omnes intelligant, integrum ascribam. Nam tu surculum tantum defringis & abis. Eius verba hæc sunt. Aluredus elemosinæ dator, missarum auditor, rerum ignotarum inuestigator, Sanctum Grimbaldum Monachum, literatura & cantu peritum, de partibus Galliæ, & Ioannẽ Monachum de vltimis Walliæ finibus, scilicet de Monasterio sancti Dauid Meneuiæ, ad se vocauit, vt literis instrueretur. Hæc Ranulphus. Ex quo loco Luce clarius est Aluredum regem, Grimbaldum & Ioannem Monachum sibi præceptores ad docendas literas habuisse, non scholæ Oxoniensi professores literarum aduocaße, etsi

Præceptores Aluredi.

etsi id Baleus dixerit. Neque si ad se vocarit, necessariò sequeretur, vt eum docendi gratia Oxonium amandarit Aluredus. Itaque dic amabo te qua rhethorica, aut quibus artibus verba illa Ranulphi, de Io. Scoto Oxonium vocato, vt tu ais, tuo conueniant instituto? Cum certè causa tua tãtum abest vt prosint, vt etiam vehementer obsint, imo verò contradicant. Hìc ergo, mi Oxoniensis, opus fuit diligẽtiori rhetorica (rhetorem enim te vocat Lelandus, & elegãtem Poëtam) hìc astu & vafricie maiori, quod bona tua venia dicam. In qua re si iucundum tibi censes persistere, si θούριον λῆμα, si ingens affectus tibi sit pugnare pro Academia tua malis artibus, si hoc tibi gloriosum fore existimas, cur non id agis quoq; ἵνα θηβησιν ἥρως γένη, vt apud Thebanos Heros fias? Et licet rhetorica dicat, nude & ieiunè proferenda aduersarij verba, non tamen dicit decerpenda duo aut tria vocabula testimonij vt causam adiuues: nec ita implicanda scriptorum testimonia vt imponas, quod abs te factum eo in loco est,

est, quo de celebritate originis vestræ Academiæ grandi fastu magna crepas. Productis enim Polydori et historiæ regiæ testimonijs, Higdeni sic innoluis, vt, primum, quod in eo continetur, & instituto tuo aduersatur, non explices, sed complicatum verbis testimonij vniuersalibus sic preteris, vt credulo Lectori, nec examinanti prætereq; quòd tenebras offundis, etiam dolis imponis. Innoluis autem ad istum modum. Eadem etiam penè ad verbum describit Ranulphus Cestrensis: quæ tua argumentandi citandiq; ratio est ꝑpetua. Etenim alio in loco vno atq; altero teste producto, vt Monem. & hist. regia, vbi probare conaris non aliũ fuiße Cãtabrum q̃ Partholomum, cæteros aceruo accumulas, et numero adijcis, dicisq; omnes quotquot illam historiam attigerunt, eadẽ fermè dinarrare, & Oratori suffragari nullum, aduersari omnes. At qui ad istum modum scribunt, Gul. Tyrensis in prologo histor. de rebus gestis in terra sancta, ne numerandos quidẽ inter scriptores censet. Itaq; si ad hanc rationẽ ex-

aminarẽ ſingulas tuas argutias, quas plures eſſe credo, q̃ aut Chryſippi aut Didymi voluminibus cõprehendi poſſunt, certè tollerẽ tibi vniuerſas (ex fimbria de texto iudicabis) atque ita in magna ciuitate magna, vt aiunt, ſolitudo: cogerémque ad Cantabrigienſes denuò te confugere, qui (vt Orator dixerit) prima bonarum literarum fundamenta apud vos iecerunt, non obſtantibus iis quæ tu aduerſum ſcribis. Sed iſta mitto. Illud eſſe verum, Alphredi docendi cauſſa Ioannẽ adſcitum, Ingulphus in chronicis Croilandenſibus docet, & Aluredus ipſe quoque in præfatione Saxonica in paſtoralem Gregorij ad Werferthum Wigorn. ſeu (vt Gul. Malm.) Victiorum epiſcopum, teſtis eſt, ne quid de popinis mutuati videremur,

» » quam ſic traduximus. Poſtquam animo
» » reuoluiſſem Latinam linguam iam olim
» » intermortuã in Britannia, Anglicæ autem ſtudium & lectionẽ apud multos permaniſſe, occepi inter varia atque multiplicia regni mei negotia, in Anglicũ ſermonem Paſtoralẽ Gregorij nunc ad verbum,

bum, nunc ad ſenſum conuertere, prout »»
à Plegmundo Archiepiſcopo meo, Aſſe- »»
ro Epiſcopo meo, & à Grimbaldo & Io- »»
anne Sacerdotibus meis didici. Hactenus »»
Alphredus. Id referunt & Flores hiſt. ãno ſalutis 872. & tu quoq; in principio libri tui confiteris, quo loco Alcuinum Leuitã, alius ætatis hominem, inter præceptores etiã Aluredi inſulcis, πάνθ' ὑπὸ μίαν μύκωνον, nullam faciens diſcrepantiam, etſi hoc præſenti loco immemor tui aliud dicis. Sed memorẽ eſſe oportet. non enim inceſſam ego lingua. Ex Flor. hiſt. anno eodẽ intelligo item, Aluredũ ex Gallia vtrũq; auocaſſe, & Io. Scotũ anno 883 non ex monaſterio Meneuẽſi veniſſe, hominẽ perſpicacis ingenij & facundiæ ſingularis. Qui ſi Oxonij bonas literas tradidiſſet, vndè eſt q̃ referente Gul. Malm. de geſtis Britonum, Florib. hiſt. anno 883. & Ranulpho lib. quinto, Malmeſburiæ à pueris quos docebat, graphijs interẽptus eſt? Hoc arguit eum Melduni docuiſſe, vt Hector Boethius quoq; author eſt, non Oxonij (non enim ab equis ad aſinos, Vnde Scotus.

hoc est Oxonia Meldunum, migrasse puto) cuius nullam facit prorsus mentionem, cum tamen ea res fuisset admodum gloriosa Scotis. Regijs liberis adhibitum eum præceptorem, cum Asſero, Ingulpho, & alijs vetustis scriptoribus diligenter tradit Boethus: cuius verba ex decimo lib. Scotica historiæ huc ascripsimus. Ioannes Scotus nostras missus fuit ad Alarudum. vndè Anglica nobilitate hortãte, ex legato factus est hospes, regijsq; liberis adhibitus præceptor. Ad profitentem hunc Ioannem Scotum Malmesburiensi cœnobio frequens auditor ex omni Anglorum ordine confluxit, vnde breui res literaria in Anglia haud mediocrè capit incrementũ. Ipse Ioãnes cum corruptissimos mores adolescentũ, quos docebat, acrius argueret, ab eisdem inter legendũ pugionibus confossus interijt, & ibidem sepultus. Hactenus Hector Boethus. In quo scribendum Aluredum non Alarudum, etsi historia Brutus hoc nomen Alarudũ subinde habeat, & historia S. Suithuni vtrúmq; respuat, quæ non aliud admittit

quàm

quàm Alphredum, quòd in testamento suo Rex (vt ait) non alio se nomine vocet q̃ Alfreode. Equidem quid in testamẽto dicat, quod non dum vidi, nescio: at in libris eius Saxonicis, quos ego vidi, omnibus se Ælfred, non Alfreode nominare solet. Sed hæc de nominibus. De Erigena sic sentio. Si extra Aulam regiam docuit, probabilius est eum in Monasterio aliquo docuisse, q̃ in Oxonienſi Academia, propter metum Nicolai primi Pontificis Ro. apud quem fama hæreticum eum criminabatur. Docuisse autem aliquando Oxonij, apud aliquem vetustum scriptorem non lego, vt nec apud Asserum, nec historias Saxonicas anno ætatis Alphredi xxiij. scriptas. Receptũ est, eum Athenis per Italiam ad Lodouicum Galliæ regem deuenisse, & illi Dionisium transtulisse, aliósq; scripsisse libros, qui q̃ aliqua ex parte dißonabant à fide Catholica, hæreticus est à Nicolao habitus, qui ad Carolum Caluũ scripsit ea de re. Hinc Gul. Malmesb. credit, metu huius infamiæ Ioannem Scotum ad Alfredum declinasse.

Alphredi nomina.

Alfreode.

Ælfred.

In Aula regia & monasterijs docuit Scotus.

clinasse. Unde verisimilius est, postq̃ aliquando apud Aluredum docuerat, eum sẽclam subduxisse in monasterium Maildunẽse, vbi docuit, & graphijs interẽptus à multis creditur. Apponam eius verba ex lib. de Pont. v. raro admodum nostra
»» ætate. Io. composuit librum περὶ φυσικῶν
»» διαιρέσεων, in quo plurima, nisi diligenter
»» discutiantur, à fide catholicorum abhor-
»» rentia videantur. Huius opinionis parti-
»» ceps fuisse cognoscitur Nicolaus Papa,
»» qui in epistola ad Carolum dicit, Ioan-
»» nem olim non sanè sapere, in frequenti ru-
»» more dicitur. Propter hanc ergo infami-
»» am (credo) teduit eum Franciæ, venitq;
»» ad regem Alphredum, cuius munificen-
»» tia & magisterio vsus, vt ex scriptis re-
»» gis intellexi, sublimis Meldunireſedit,
»» vbi post aliquot annos à pueris quos do-
»» cebat graphijs perforatus, animam exuit.

Hæc Gulielmus. Quæ ideo adduxi, vt ostendam in Aula regia & Monasteriys docuisse Ioannem, non in Gymnasio Oxoniensi: maximè cum hæreseos nota laborasset. De cæteris, hoc est an natione,

ne Scotus idem Ioannes erat, vt Hector Boethus vult, an Britannus Menèuiæ oriundus, & in reditu Athenis & ex Gallia eo loci Monachus factus aut exceptus, et inde Oxonium ad professionem literarum per Aluredum vocatus, vt Ioannes Baleus scribit: & an à pueris graphijs peremptus, vt Gulielmus Malmesburiensis docet, nihil disputo. Penes authores fides esto. Illud dicam, Asserum, vetustum authorem, cuius fidem hic maximi facio, quòd cum Ioanne in Aula regia consuetudinem habuit, ista non tradere, sed fuisse eum genere Ealdesaxonẽ (quod et Ingulphus & Gul. Mal. in vita Aluredi consitentur) hoc est veterẽ Saxonem, & Abbatem Monasterij quod Ethelingiæ extruxerat Aluredus, & à Gallicorum Monachorum auditorum suorum famulis noctu in ecclesia interorandum vehementer sauciatum, atque vt mortuum, pectum ante ædes publicæ meretriculæ, quasi ab ea aut procis eius interfectum, in libro de gestis Alphredi, atq; etiã in Annalibus scribere:

Erigena non fuit natione Scotus.

Cuias Scotus, & qualis illi mors.

etiam si Hector Boethus in Scotorũ historia, & Martinus Polonus in Supputationibus, aliud dicant. Ex quibus Boethus, illud Asseri, inter orandum, vertit in, inter legendum. Veterem Saxoniam voco, Westphaliam. Etenim Wernerus Roleuinck Westphalus, Chartusianus Colonienſis, & Sebastianus Munsterus Cosmographus Basilienſis, sic interpretãtur. Ille enim in fasciculo temporum circa annum Christi 714. vbi de Constantino filio scribit, sic habet. Lebuinus presbyter sanctus, Anglicis prædicat in Velua, & post in Saxonia antiqua, id est Westphalia. Iste, Cosmographiæ suæ lib. iij. ad istum modum: Vera & vetus Saxonia, est Westphalia. Et rursus eodẽ libro: Westphalia, quæ est occidua Saxonia. Etsi hodie Ostfalai pro Westphali, & Angrarij pro Angli, & Angria pro Anglia Saxoniæ corruptè scribunt duces eorum locorum in titulis, vt in Basilio Ioanne Heraldo inter leges Saxonũ titulo septimo libri de originibus ac Germanicis antiquitatibus atq; legibus: &

Vetus Saxonia.

Alber-

Alberto Krantzio in sua Saxonia lib.j. cap.xxj. & lib.ij. cap.ij. scire licet. Erat ergo Erigena Saxo, appellatus tamẽ Scotus: non à natione Scotica, vti Boethus existimat, sed quòd versabatur in Hibernia, quam olim bonis literis floruisse, author est Sulgenus, vt eo loco diximus, quo tacita authorum nomina explicuimus. Etenim ætate Alphredi regis, Hiberni vulgo dicebantur Scoti. Eam ob caussam vbicunq; apud Orosium occurrebat Hibernus, Aluredus vertit Scotte. Ratio est, vt reor, quòd Scoti prius Hiberniam q̃ Albaniam incoluerũt: quibus adhuc destituta Hibernia non est, Redschankes hodiè (vt audio) appellatis. Hinc natum puto, vt hi quos lib. hist. suæ. v. Polydorus sequutus est authores, è fama referant, Io Scotum ex Hibernia aut Scotia in Galliam delatos. Certè id mihi persuadeo, si in schola vestra prælegisset Ioannes Scotus, aut Boethus aut Ioannes Maior annotasset. Etenim cum de Alexandro Halense, Richardo Middeltono, Ioanne Dunso, Gul. Occham, Roberto Holcot,

Cur Erigena dictus Scotus.

Hentisbero, & aliquot alijs recentioribus Oxonij educatis diligenter scribat libro hist. suæ primo Maior, non committeret, credo, vt Ioannem Scotum, insignem certè virum, & Oxonij docentem, vt tu ais, vnum inter alios intermitteret. Est enim hoc hominum genus in gloriam suã gentísq; suæ nimium effusum, & reliquorum mortalium contemptor quidã, vt à multis proditur. In tantum enim nobilitatẽ suã ostentare solet, vt in summa rerum inopia degens, ad regiam tamen stirpem genus suum referre non dubitet. Itaq; vt magnifica quædam de Ioannis Scoti legatione, de intercessione Principum Britanniæ, de Scholasticorum multitudine Hector Boethus in historiam suam interseruit, ita publicè in vniuersitate docuisse, atq; ea in Britãnia, quod ad Scotiæ laudem atq; gloriam vel maximè ꝑtineret, quomodo silentio præterire potuisset? Tã est igitur probabile Io. Erigenã primum fuisse apud vos literarũ professorem, q̃ est id, q̃ Polydorus lib. Ang. hist. v. scribit, Aluredum rerũ potitũ, primo quoq; tempore

Scoti.

pure voti causſa Romã profectum eſſe, vbi regiæ coronæ honore ab Adriano, ij. Ro. Pont. rurſus honeſtatur, quod fuit anno ſalutis 872. Cum tamẽ Aſſerus & Henr. Huntud. dicant, eo anno bellis eum fuiſſe implicitum, verſus Londoniam duxiſſe exercitũ, & octo prælia vt iſti, nouem vt Simeon Dunelm. et Florilegus conteſtentur, cum Danis commiſiſſe, neq; operibus pietatis incubuiſſe ante pacis & quietis tempora. Polydorus quoq; ipſe eodem loco ſcribit, ab initio principatus omnia difficillima fuiſſe, & deinceps omnia plena laboris. Quæ quẽadmodum cohereant, non video, vt cui omnes difficultates et labores eſſent in principio, ei tantum eſſet otij, vt primo quoq; tẽpore peregrinationis cauſſa Romam iret, & coronatione rurſus honeſtetur. Demum cum ab Adriano rurſus honeſtatum dicit, non dignatur tamen concedere, honeſtatũ eum prius à Leone quarto, vt Gualterus Couentren. & Gul. Mal alijq; vetuſti authores conteſtẽtur. Niſi enim à Leone prius, ab Adriano rurſus honeſtari nequibat. Nam illud

rurſus

rursus, simile quid factum prius commonstrat. Atq; ita per incogitantiã id verum esse confitetur, quod verum esse postea negat. Quamobrem si isti Monachi professores vestri nõ essent (non fuisse autem iam est cõprobatum) magnam certè iniuriam facis tuæ Academiæ, cum eius literarum fundamenta crassis Monachũ (quibus nihil indoctius prouerbio celebratur) non Academicis omnis doctrinæ fontibus, tribuis. Quàm iniquè comparatum abs te est, vt propter odiũ aut inuidiam Cantabrigiensium, malis scholam tuam ab ingloriys & stupidis Monachis, qui ne tria quidem Stesichori norunt, vt dici solet, quàm ab illustribus & glorioſis Academiys, literarum nutricibus, virtutum domicilijs, omnium Musarum sedibus, atq; omnis pietatis et officij alumnis originem ducere? & propter celebritatẽ loci, eius literas contemnere, vt solet stultum vulgus, cui vix triens sapientis viri est, imo vix semuntia rationis si compares ad assem, quod non alia ratione contemnit Musicam, ex septem scientijs liberalibus

Musica exculta.

beralibus vnam, omnibus ſæculis cultam & laudatam, quàm quòd eius vſus in eccleſijs ſit: cum tamen authoritate Nicephori Calliſti eccl. hiſt. lib. iiij. etiam ab exordio primatiuæ eccleſiæ canendi vſus in templis erat, & ad ſua vſque tempora retentus. Sed ad ſtultum vulgus ſua ſtulta relegamus, tu qui literatus es, Academias literarum matres agnoſce. Etenim à Monachis nihil Latinum, nihil elegans atq; tarſum, nihil politum per ea tempora afferri ſolebat. Vndè natum putem, vt quæ parũ latina quæq; corrupta ſunt, Bãgorenſia noſtris hominibus latinis vulgari prouerbio dicerentur, & ad huc dicuntur. Credo quòd Bangorenſes Monachi, Bannochorenſis ſtudij reliquiæ, faces tantum literarum retinuerint. Noto imperitiem, non noto ordinem. Imo ſunt qui ſcribant Monachos olim ferè fuiſſe laicos, ex quorum genere Benedictinos & Frãciſcanos numerant. Sunt & alij qui putent illis irreligioſum fuiſſe ſcire literas. Sed hoc quàm ſit verum, neſcio. Illud verum eſſe ex Monachis Bãnochorenſibus intelligo, Bangorenſia.

intelligo, de quibus opera victũ quæritantibus, paulò ante ex Beda & Ranulpho diximus. Sed dices, bona verba quæsõ te Londinensis. An non bona pars scriptorum tuorum monachi sunt? non Bramie, quem Baleus non rectè Bromium vocat? non Higdenus, non Matth. Westm. non Gocelinus denique et aliquot alij scriptores tui Monachi erant? Quid ergo, indocti Monachi? Docti quidem hi erant mi Oxoniensis vt sua ferebant tempora, et multo q̃ docti sanè diligentiores, quæ res hac nostra ætate florente doctrinæ desideratur. Sed vna hirundo non facit ver. Si pauci docti & studijs dediti sunt, ergo omnes? ergo Aluredi tempestate? Verum hac de re paulo ante copiosius: hoc iam dicam, hanc scribendi rationem historicam Monachis datam potius existimo authoritate bonorum principum, quibus reipublicæ suæ cura fuit, quàm studio Monachorum natam. Cum enim res gestas suorum temporum memoriæ mandare boni Reges studuerunt, hanc prouinciam Monachis dederunt. Sic Edwardus

Quibus commissum scribendi hist. negotium.

wardus primus anno domini 1291. et regni sui xix. imperauit cœnobio Roffensi, vt in commentarios referrent res gestas sui temporis vt acciderint, idq; cœnobium cũ multis alijs monast. & præcipuè S. Albani, in hoc delegit, tanquam in Thesaurum et custodiam rerum memorabilium, vti Matth. Westm. & is qui Roffensem historiam ædidit, scribunt. Sic Henricus tertius præcepit Matth. Pariſio anno salutis 1247. & regni sui xxxj. vt scriptis commendaret, ne vlla vnq; obliuione deatur, se peditem gestasse in solẽni processione spectante populo, sanctum Christi sanguinem (quem Magistri templi à terra sancta miserunt ad regem) ab æde sacra Diui Pauli ad ecclesiam Westmonasterienſem. Erat autem Mattheus Pariſius Chronographus regis. Post cuius mortem, suffectus est in eius officiũ stipendio regis Gulielmus Risehanger, Sancti Albani Monachus: & à morte eius alij multi eiusdem ecclesiæ Monachi ad multos annos. Etenim Regibus occidentis mundi partis consuetum fuit olim, apud se habere

Historiarum officinæ.

Historici Regij.

habere eos, qui res eorum vt erant gestæ, ãnis singulis bona fide scriberẽt. Sic tamẽ vt neq; regis ætate, nec filiorum eius facerent publicas, sed ita concinnatas historias, in archiua referrent regia, vbi ad posteros reseruarẽtur : vti Virumnius Põticus in historia Britannorũ refert. Neq; isti principes authores solum erant nouas historias conscribendi, sed conseruandi veteres etiam. Lucubrationes enim Rogeri Houedeni diligenter perquiri iussit Edwardus primus, cum pro iure principatus regni Scotiæ ingens esset controuersia, authore Ranulpho lib. septimo. Qua definita quæstione, magno studio curauit per literas suas sigillo Scacarij sui obsignatas, vt Prior & conuentus Cœnobij Meritonensis in Surria, in perpetuam rei gestæ memoriam cõmentarijs traderent, quæ acta decretaq; sunt de primatu regni Scotiæ ad Angliæ regem pertinente, cum Ioannes de Baliol in regẽ Scotiæ est suffectus : teste Matt. Parisio & M. West. Quæ res, tum diligentia sua, tum præcedentium principũ, illi postea magno certè

fuit

fuit vsui. Nam in ea quam nuper dixi controuersia de primo & capitali Domino regni Scotiæ, productis edicto suo ex omnibus ecclesijs cathedralibus, ex omnibus Monachorum Monasterijs et Canonicorum cœnobijs historijs & annalibus, per cuiusq; loci duos designatos vtriusque iuris peritos, Norhami super Tuedam in confinio vtriusque regni, in concilio generali (quod Parlamentū dicunt) anno domini 1291. & regni sui. xix. habito, & diligenter euolutis & collatis, & quid quodq; Chronicon de ea re contineret aut non contineret, collecto & explicato, per eos & alios doctos viros in hoc selectos, repertum & decretum est, Angliæ regem, principem & Capitalem Dominum esse totius Scotiæ. Hæ historiæ vt erant multæ (quo minus sit Mirimutho cur de historiarum inopia conqueratur) ita ad huc supersunt, si non vniuersæ at saltem singulæ: quarum Catalogus vsque manet integer, & ipse liber de controuersia conscriptus, cedro certè dignus, (quem aliquando p otiū forsan dabimus)

Quantum p- fuerunt Principibus historiæ.

Ex historia Abindonensi.

Rex Angliæ, Dominus regni Scotiæ.

& epistola vna benè lõga Edwardi regis nomine p̃ Gul. Rischãger cõscripta, aliaq; per magnates Angliæ ad Bonefaciũ octauũ super ea re missa, docẽtes ex his, & alijs historijs ex archiuis regni Scotiæ apud Stone, ad regẽ Angliæ pertinere ius regni Scotiæ. De quo argumento etiã Gul. Hothome, Prior prouincialis fratrũ prædicatorũ Angliæ, orationem habuit gallicè ad Regẽ et magnates vtriusq; regni, ex chronicis, priuilegijs, & alijs literis regalibus, & papalibus, Scotorũ reges Anglorũ regibus homagiũ feciſſe, & eos dños ſuos vocaſſe, vt hiſt. verbis vtar. Atq; hæc quidem de principatu Scotiæ. Ad Hiberniæ regnum cognoſcendum et antiquos gentis mores multum facere poſſunt eadem hiſtoriæ. Nam ex eis ſcire licet quemadmodum Henrico ſecundo & hæredibus ſuis confirmatum ſit in Concilio Caſſellenſiano 1171. Hiberniæ regnum: & eum non Dñm tantũ, ſed regem cũ hæredibus ſuis in perpetuũ conſtitutum. In quo Cõcilio ſtatutũ & illud quoq; fuit, vt pueri baptiſentur in Eccleſijs à Sacerdotibus. Nã

Ex Chronic. Wal. Hemingford Gisburnenſis.

Rex Angliæ, rex etiam Hiberniæ à multis annis.

Baptiſmus.

ante

ante in multis Hiberniæ regionibus statim vt puer nasceretur, à patre aut quouis alio ter mergebatur in aqua si ex paupere, in lacte si ex diuite natus esset: et decimas soluerent quas non solebant: & quas vellent vxores iure ecclesiastico ducerent, nec vt ante quot vellent, nec cognatas aut Germanas, nec obuias aut promiscuas haberent. Eadē hist. & hoc docent, Hēricū secundū Oxoniæ anno 1177. coram episcopis & principib⁹ regni cōstituisse Ioan. filiū suū natu minimū Hiberniæ regem, et familiaribus suis distribuisse terras Hibernię, et fecisse eos deuenire homines suos & Ioānis filij sui, & iurare sibi & Io. filio suo fidelitatē & legiantiā seu ligantiam (vtor verbis hist.) cōtra oēs gētes de terra Hiberniæ: & Hibernos etiā ipsos cum regibus suis (præter Cōnatiæ regē) cū iiij. archiepisc. & suffrag. suis homagiū & fidelitatē fecisse, hoc est in verba & fidē iurasse eidē Io. regē ex quadringentis naub⁹ armatorū hominū in Hiberniā traiecisse an. 1171. quæ omnia Gualt. Couentrensis fusius explicat, si cui studium eius rei sit.

Coniugium.

Ex Gual. Couentrensi.

Sed hæc obiter, oblata occasione ex Monachis, qui Aluredi tẽpore indoctiores erãt, q̃ vt Oxonij bonas literas ꝓfiterẽtur, paucis exceptis, qui ibidẽ nunq̃ docuerũt.

Prospiciendũ historijs temporum.

Etsi Monachi qui insecuti sunt, paulò doctiores erant, et authores variarum historiarum, quæ magno cõmodo regno fuerũt & esse poterunt, si qua ratione habita cõseruentur: quod optandum quidem est, & precibus postulandum quoq3, cũ hodiè nullus ferè antiquitatis est respectus, nec memoriæ rerum gestarum vlla cogitatio. Nostrarum rerum maior cura exteris est q̃ nostris. Quæ res occasionem dedit Polydoro Vergilio conscribendi historiã Anglicam: Paulo Iouio, Carioni, & aliquot alijs nostri temporis mandandi scriptis quæ hac nostra ætate acciderunt, cum pudore nostrorum. At quid mirũ, cum Literatorum nulla hodie habeatur ratio, cũ literæ laudentur & algeant. Sed de Monachis Oxoniæ non docentibus, abundè dictum est.

Redeo ad argumenta tua vnde sum digressus: & primò ad Anaxagoram Philosophum

losophũ, quẽ intempestiue in hist. Cantab. ingestum & repugnante tempore asseris. Verum concordante tempore id factum iudicabis, si ab alijs quidem scriptoribus Gurguntium regnare cæpisse annis ante Christum 487. à Paulo verò Constantino Phrigione (diligentissimo nostri tẽporis Chronographo) 479. & Anaxagoram annis ante Christum 450. vixisse, memoriæ traditũ intelligas. Cæteros mitto, Eusebium dico, Achillem Gassarũ, Christianum Masseum, Ioannem Functium, Henricum Panthaleonem, Valerium Anselmum, Ryd, Cornelĩ Cornipolitanum, et Bibliãdrum, inter quos, papæ, quanta temporum discordia est, dũ ex his alij Bibliorum, alij septuaginta interpretum, alij aliam supputationem sequantur: vt ante exẽplis declarauimus. Richardus Diuisiensis homo nostras, in Epitome rerum Britannicarum contemporaneos facit Gurguntium regem, & Anaximandrum Anaxagorámq; Philosophos. Nam postq; ostendisset quo anno, quo regnante Principe, & quo Authore

Anaxagoras potuit esse Cãtabrigiæ.

condita fuit Cantabrigia eis verbis quæ iam ante retulimus, cum antiquitatem Cantabrigiensis Academiæ scriptorum multitudine comprobauimus, eodem anno mox subiungit. Thaletis discipulus fuit Anaximander, cuius Anaximenes, cuius Anaxagoras. Marianus quoque Scotus (quem historia Roffensis veracissimũ historicum vocat) lib. chron. j. anno mundi 3616. ætate quinta, Anaximandrum Milesium Physicum agnoscit scribit. Quod tempus vt erat ante Christum annis 347. iuxta Lanquetum, ita non abhorret à Gurguntij ætate, qui regnasse legitur annis ante Christum 375. vt ex Lanqueto quoque tuo & Stowæo diximus. Cum Mariano consentit & Freculfus lib. iiij. chrouic. Tunc (inquit) & Anaximander Milesius Physicus agnoscitur, cuius Præceptor Thales Milesius fuit. Et paucis interpositis: Huic successit eius auditor Anaximenes, &c. Itaque siue Constantini, siue Mariani supputationem sequaris, differentia tantum .xxviij. aut summũ .xxix. annorum erit:

erit: qui ab ætate qua floruit ad obitum vsque facilè potuissent consumi. Sic vt nihil repugnet post conditam Academiam Cantabr. & Anaxamandrũ & Anaxagorã Cantabrigiæ esse potuisse. Imo si Io. Herrisono authori graui atq; docto credẽdum sit, Anaxagoras Cantabrigiæ sepultus est: quod vt non affirmo, ita nec oppugno. Hoc dico tamen, tam eße probabile Anaxagoram obijsse Cantabrigiæ in ædibus quæ Anaxagoræ nomine appellantur, quàm ab Aluredo ortam vestrã Academiã, aut à Græcis natã vt historiola vestra gloriatur, quæ nec stylo nec argumẽto conuenit cũ antiquis scriptoribus quos mihi saltẽ vidisse contigit, vidi autem non paucos. Quod si quis bonæ fidei scriptor sit præter te & historiolæ id quiscribat, ne graueris locum designasse & authorem in rei fidem.

Ad extremum, Cantabrigiense Gymnasium antiquum non putas, quod eius collegia noua existimas, nec ante Gulielmi Neustriorum Ducis tempora posita, hoc est non ante annũ salutis 1067. Cantabr. Academia antiquior collegijs

*Age si lubet Musis benè fortunantibus: commodum istud inductum est & auspicatò. Dabo istum modum temporum: & hoc quoque addam in gratiam tuam, nullam fuisse, quod scio, collegium Cantabrigiæ ante regnum Henrici tertij, nec ante annum dñi 1259. Scholas quoque publicas nouas esse cõfitebor, si vetustatẽ respicias. Conuincam tamen facilè, citrà que puluerem, vt dici solet, antiquissimam esse Academiam. Non enim in collegijs à principio, sed in vrbanorum ædibus posita fuit. In eis docuit Academia, in eis scholasticos aluit. Id ex vetustis Academiæ monumentis didici, id ex. Iosfrido Croilandensi historico, qui Monachos suos Gislebertum, Odonem, Terricum, et Gulielmum (de quibus ante) in horreo cõducto Cantabrigiæ prælegisse scribit, intellexi. Ex his ædibus ad decennium cõductis, scholas fecerunt & habitacula, quas eis tollere ne possessoribus quidem licuit, nisi propriæ habitationis caussa. Sic enim authoritate regia cautum fuit. Has scholas (cum nullæ aliæ essent) has hospi-*

Habitatio scholasticorũ ante Collegia.

Hospitia.

tia

tia (quas Oxonienſes Aulas vocant) atq; literarum diuerſoria antiquitas vocabat. Et ne ciues locandis ædibus ſint iniquiores, conſtitutum olim & illud eſt, vt ex vrbanis quidam, quidam ex ſcholaſticis deſignarentur, qui locationis modum vrbanis præſcriberent & taxarent: vt neq; vrbani locationis precio graues ſint ſcholaſticis, & ſit tamen vrbanis condignum locationis precium. A quo taxandi officio, principio Taxatores dicebantur, atq; adhuc dicuntur, etſi extructis iam collegijs, & relictis vrbanorum ædibus, retento tamen Taxatorum nomine, id officij aliò ſit conuerſum. Neq; hoc tibi nouum videri debet, vetus exẽplum renocamus. Siquidem Patauium, Bononia, Ferraria, Sena, atq; Piſæ (quæ olim Alphea dicebantur) Antiqua Italiæ Gymnaſia, eũ morem & olim ſeruarunt, & vſque ſeruant, in quibus ne vnum quidem eſt collegium, quod ſciam, præterq; Patauij vnum, Senæ vnum, Bononiæ duo, & Romæ vnum, Caperanicum nimirum, & ea nuper, nec niſi admodum egenis poſita: Taxatores. Collegia Italiæ.

cuius generis pauciſſimi ſunt in Italia. Aut ſi ſint, non videntur tamen, dum ſimulata animorum generoſitate, omnẽ inopiam & mẽdicitatis notam ſuſpiſionẽmque vitant (vt Theagenes ille Mercator vulgo dictus κάπνος) etſi eis premantur grauiſſimè. Quod certè laudis eſt. Etenim abiecti planè animi eſt, & parũ excelſi velle inopiæ cedere, et mendicando aperta facie non erubeſcere, in ſordibus per omnem vitam volutare, atque ex limo, vt ſolet cephalus, eſitare. Cum in Italiã primo veneram, publica profeſſio liberalium ſcientiarum Patauij in ædibus cuiuſdam ciuis Patauini apud ſanctũ Blaſium fuit, & eis humilibus ſatis & obſcuris. Ante tamen diſceſſum noſtrum, extructæ aliæ ſcholæ magnificentiores ſunt ſumptu publico Senatus Veneti, ad quem ea ciuitas pertinet, in foro Boario Patauij, iuxta ſcholas Iurisperitorum, quas ſolas publicas habet Academia. Etenim habitationes ſcholaſticorum, priuatæ adhuc ſunt vrbanorũ ædes, alio alia viuendi ratione in aliena æde vſo aut Doſenæ, aut Camera, aut

Scholæ Patauinæ.

re, aut vt vocant Casæ. Quod si non ante collegia condita Academia fuit Cantabrigia, sed schola Grammaticalis, vt tu dicis, Oxonium autem insigne tum temporis Gymnasium, cur Gulielmus Normannus prudens certè princeps, charissimum suum filium Henricum Bellclericum, quem ad summã omnium scientiarum cognitionem atq; ad episcopatũ destinasset, ad vniuersitatem Cantabrigiæ (sic enim Rudbornus, huius rei author, vocat) studendi gratia amandarit? Vndè scire licet ante collegia condita fuisse vniuersitatem, & eam celebrem, atque ante Gulielmum Neustrium etiam. Non est ergo æstimanda Oratoris Academia ex tua, Oxoniensis, quam dicis ab vniuersitatis collegio initium sumpsisse, neq; antiquitatis argumentum ex collegijs est sumendum. Sed neque tu quidem ex Aulæ aut Collegiorum tuorum principijs Academiæ tuæ antiquitatem æstimares, si illi bene atq; vt par est consuleres. Nam si à Collegijs & magna Aula vniuersitatis inceptisse dices, aut

Henricus Bellocleicus.

non

non ante Balliolense aut Mertonense, antiquissima vestra Collegia, fuit Academia. Aut si fuit, semel in vniuersitatis Aula posita, vsque ad Balliolense atque Mertonense collegium nunq̃ est egressa. At illud si fatearis, recens est Gymnasium, nec ante annũ salutis 1288. aut summum 1285. institutum. Sin hoc, exile admodum & ieiunum fuit, et schola planè triuialis, nec tantæ magnificentiæ quãtã tu prædicas, quod vna tantilla Aula, tanto (vt tu quidem censes) tempore concluderetur. Nam per interuallum id, aliam scholæ aut commorandi locum non adducis, aliam rationem non explicas.

Atque hæc quidem sunt (si benè memini, omnia, quæ aduersus Cantabrigiensis Academiæ antiquitatem in cõmentarijs affers, relatu saltem digna. Neque enim ad viuum omnia reseco, imo vero neq; ad cutim vsq; rado, & quædam vt leuia contemno, atq; vt in iudicium veniant indigna existimo vel tua caussa. Etenim plura tibi diuersoria, sed pauci amici, vt dici solet. Itaq; age mi Oxoniensis,

fis, & iam citra cuiusq̃ offensionem, quod petis, dicito, quàm multa ab Historiolæ Cantab. authore narrata, parum tibi probabilia videantur, q̃ nonnulla merà somnia, ac prorsus incredibilia? inter quæ illa sunto, si placeat, Cæsarem deuicto Cassiuellauno, Cantabrigienses quosdam Romam secum abduxisse. vt loqui docerent Romanos si placeat: aut vti Ostrea eò transferrent, si illud non placeat, aliud si non sit quod Romæ agerent. Nam Romæ Ostrea non sunt. Et illa, Pendã Mercíorum regem Cricladenses scholas instituisse: Cantabrigiam à Cantabro extructam fuisse, ex eoq̃ nomen sumpsisse. Cætera quæ tu somnia dicis atque vana, nec vlla tamen ratione somnia aut vana esse doces, sed tantum dicis, apud homines non omnino obesæ naris vt omnem authori fidem non adiment (vt tu existimas) ita quia nullum est necessum demolire quæ tu non stabiliuisti, prudens omitto, historiolæ Cantabrigiensis fidem atque authoritatem tuæ oppono, atque ad Oxonienſis

nienſis Gymnaſij antiquitatem tranſeo. In qua nec à Græcis Philoſophis ortum, vt ex hiſtoriola veſtra ariolaris: neque ab Aluredo conſtitutum Gymnaſium, quod vis & non vis, edocebo.

(∴)

# Liber secundus.

OXONIVM cæteris omnibus totius orbis Gymnasijs Latinis et prius & præstantius esse historiola vestra gloriatur. Hoc insinuare dicit suæ fundationis historias Britannicas perantiquas: quod confirmationis loco addidit. Sed eadem, cum explicandæ essent historiæ perantiquæ & producendi authores in confirmationis rationem, Fertur (inquit) inter bellicosos quondam Troianos &c. insinuationem commenta ex vulgo fabula roborans, quo nihil est vanius aut incertius: apta tamen ratione instituto, cum ante dixerat, historias insinuasse antiquitatē Gymnasij & præstantiam, id est obscurè subindicasse, non apertè explicatéque professas esse. Nec si profiterentur, esset probabile. Quid enim Musis cum Marte? quid paci cũ bello? quid libri cũ lanceis? Nam

Oxoniensis historiolæ examinatio.

Nam pugnatum ante acriter esse q̃ Troiani Britanniam quietè posseder̃at, scriptis commendatum est. Nisi si putes omnia loca Philosophis patuisse libera, non item militibus: aut habitatoribus destituta, occupanti omnia cederent: quod sanè historiarum testimonio verum non est. Atque hæc quidem commemoratio est veteris memoriæ Britannicorum authorum, antiquitatis vestræ testium, de qua in cõmentarijs agis. Iam verò expendamus ista diligentius, & componamus. Nam scopi videntur planè dissoluti. Fertur (inquit) inter bellicosos quondam Troianos, quasdã Philosophos Græcos aduentantes, apto quodam loco, cui nomen Grekelade, in sui signum addidêrunt, Oxonio non multum distante, sedes suas posuisse. Quorsum hæc? vt Oxoniensis Gymnasij originem ostendãt? Nequaquam. sed Cricladensis studij, si id ostendant fabulæ. Quibus vel ipsis Attellanis ineptioribus, si antiquitatem Gymnasij sui non commiteret Oxoniensis, ad antiquitatem Cantabrigiensem propius non

non accederet, tantum abest vt anteuerteret. Quapropter longiora initia quàm veriora petere necessum fuit: facillimum ratus, antiquitate rei fidē fallere, & memoriam obscurare. Verum id perquā est difficile. Etenim ex historijs notum est, primum nomen non fuisse Grekelade, à Gracis inditum, aut à Gracorum literis aut nomine prognatum (nam merè Saxonicum Lelandus affirmat) sed Eruditum. Neque studium à Gracis (nisi Cantabrigienses Graci erant, aut Grecæ linguæ professores) sed à Penda Merciorum rege positum, vt paulò ante ex Diuisiensi historico manifestè explicuimus. Taceo quæ de ea re tradunt Cantabrigienses cōmentarij. Nam hoc vlcus non licet tangere. Non fuisse autē Cricladi Gracorum Philosophorum scholas, contra quàm historiola vestra tradit, author est Io. Lelandus, peritissimus dubio procul, vt tu ais, Antiquarius, in commentarijs in Cygneam cantionem. In decursu enim Isidis fluuij, sic scribit. Tum pleno petit ,, alueo Crecoladam, non insignem olim, vt ,, Criclade.

vulgus indoctũ ſomniat Græcanicis ſcholis. In eiſdem commentarijs & Ioannem Rouſſum ſeu Roßum Warwicenſem, non ita magnæ authoritatis virum, de quo libro primo, quòd vanam eam opinionem ſecutus ſit, vt hominem longè maioris diligentiæ q̃ iuditij reprehendit: atq; ob id non Græcoladam, ſed Crecoladam appellandum cenſet, vocabulo, vt inquit, merè Saxonico, non ex Græcis nato. Lelando iſtic veraciſſimo & hiſtoriola veſtra ſuffragatur, è cuius principio ſcriptũ adducis Crekeladã, etſi tu verius Grecoladã ſcribendum tuo iuditio cenſes. Ex quo & illud quoq; fit, te hiſtoriolam pro voto tuo corrupiße, & multis in locis commentariorum tuorum corruptè citaße. Etenim cum ex ea Crekeladã natiuum hiſtoriolæ verbum referas, in eã tamen Grekelandã factitiũ vocabulũ tuum inſulcis: et cũ in priori æditione hiſtoriolæ erat, & priuilegiorũ multiplicitate generalior & præſtãtior inuenietur, in poſtrema eſt, ac priuilegiorum multiplicitate ac præſtantior inuenitur: &, in ac mutato, generalior omiſſo,

De Rouſſo Lelandi iudiciũ.

emisso, ac, ex abundanti relicto, & futuro in præsens transmutato. Sed pergit historiola. Grekelado (inquit) non longe positum est Oxonium, quod olim ob amœnitatem loci Bellositum dicebatur. Id loci postea Saxonicus populus Oxonium appellauit, & ad locum studij cooptauit. Hic verus sensus est historiolæ. In quo ad Oxoniensis institutum id solũ continetur, Oxonium fuisse ad locum studij electũ. Sed an Saxones studium eo in loco iam electo posuerunt, aut quod nam studium illud fuit, Philosophorum ne an aliorum, ex historiola non dum est compertum. Cricladi fuisse positas Græcorum Philosophorum scholas, historiola hæc vestra, nobis saltem proposita, docet. Oxonij autem per Saxonas fuisse aut nonas fundatas, aut Criclado Oxonium priores illas translatas, non docet. In qua re dissentire ex diametro Oxoniensis videtur à suis insigniter doctis viris, inter quos non postremus est Ioan. Lelandus, illo de translatione in vniuersa Historiola mentionem fieri negante, isto affirmante. Bellositum.

Oxonienſis tamen veluti commento Megarenſi ſic videtur in iſta commentari, ut primas illas Cricladenſes ſcholas, Oxonij fuiſſe poſitas dicat, temporumq; antiquitate bellis atq; tempeſtatibus ſic collapſas eſſe, vt Aluredo reſtauratore indigerent. Ad cuius rei confirmationem, hiſtoriolæ ſuæ authoritatem adducit, atq; vt nobis fucum faciat, Cricladenſis loci nomẽ ſubtrahit: vt quod hiſtoriola de Cricladenſi ſchola dixerit, id hic ad Oxonienſes ſcholas per fraudẽ detorqueat. Nam eo tum
» » loci (id eſt Oxonij) fuiſſe, inquit, non in-
» » celebrem Philoſophorum ſcholam, à Gra-
» » cis olim Philoſophis ortam, qui cum Tro-
» » ianis Duce Bruto in hanc Inſulam appu-
» » lerant, cum ex alijs pleriſq;, tum ex noſ-
» » tra colligitur hiſtoriola. Quod vt falſum eſt, quandoquidem hæc, vt dixi, de Cricladenſi non Oxoniẽſi ſchola ſcripta ſunt in hiſtoriola, ſic hanc hiſtoriolæ partem cum altera eiuſdem pari dolo roborat, dicens: Cricladenſes ſibi locum Oxonie cõmodiorem elegiſſe, cum id Saxonicum populum feciſſe hiſtoriola referat. Atq; id

aliquando, post diu ꝓquisitum habitationis locum: aliquando, non longo post illorum Cricladam aduentum tempore factũ Oxoniẽsis dicit, mira sanè orationis incõstantia. Similis inconstantiæ est et illud, non expresse continere, & apertè insinuare historiolam scribere, cum insinuare sit dissimulatione & circuitione quadam latenter & obscurè, non apertè subire legẽtis animum. vt non addam, apertè & non expresse inter se contradicere. Atq; ita

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O q̃ sæpè petit vinæ pipérq; coquus. Sed
Infanti melimela dato, fatuáſq; mariscas,
Nam mihi quæ nouit pũgere chia sapit.

His commentis plusq̃ Thessalicis, quibus quasi sepimento aliquo circumuallat omnia, Lectori credulo imponit, osq; sublinit, neque habens rationem eius ad quã scripserit, neq; plerorúmq; illorum scriptorum quos memorat authoritatem apponens, sed tumida (inani tamen & sterili) verborum iactatione præteriens omnia, tanq̃ si librum illum suum nemo ausus esset attingere, nemo de eo sciret indicare,

aut Leoninis terroribus consternatus, dubitaret aliquis vel de longè panidus aspicere, quasi vmbram metueret Orator, aut muscam præteruolantem formidaret. Itadum centones farcit, & huc atq; illuc incertus fluctuat, vt historiolã suam incertam statuat, scholámq; Oxoniensem q̃ sit antiquiorẽ faciat, præterq; q̃ operã ludit, & quod cupit non consequitur, etiã fraudem suam detegit: & ne illam quidem quam putat gratiam apud suos obtinet, quos non potest magis credo demereri, q̃ cum verum, cũ non fucatũ, de Gymnasio suo prædicauerit. Sed video nũq; rectè cũcros incedere. Ex istis tamen, non quam verba dant, sed quam ipse commentus est summã colligit, nimirũ Oxoniẽse Gymnasiũ à græcis ipsis Philosophis ortũ, idq; non longo post illorũ Grekeladã aduentũ tẽpore originẽ sumpsisse. Quã summã, Burlei summa cum cõprobatã velit, ex duobus alterum in medium adducit, vt vel historiola, vel Burleus ipse apertè erret: altera per Philosophos Græcos Cricladenses scholas constitutas referente, altero Oxo-

Gualter⁹ Burleus, Merton. Colleg. alũnus.

nienses

nienſes ꝑ eoſdem ordinatas conſcribente, neutro tranſmigrationem interponente. Ita vir iſte diligenter ſupputat dotis modum, nec tamen ad rationem vocat ſponſæ ſcabiem. Erret dixi, quòd à mendacij vocabulo abſtinere volui. Nam etſi tu pro libidine tua voces alios cum reprehenſione Alpha, nolumus tamen reſpondere Betam: etſi id iuris de ſe permiſerit Martialis. Scimus enim ciuilitatis eſſe nemini ſuum refricare vulnus, nec quæ dolent ea moleſtius contingere. Quod ſi in proximo fuerant Cricladenſes ſcholæ, contra quam Lelandus in commentarijs ſenſerit, vt propter vicinitatem non ſit opus tranſlatione, cur non id fateris liberè, ſed artibus vteris homo ἀγχυλομήτις, & magnus verſator in re puſilla, quæ inditium faciũt te neceſſitate et inopia cauſæ coactum, aſtu agere, nec cauſæ tuæ hiſtoriolam conſcientia teſte fauere. Certè Iorenallenſis hiſtoriæ author, Lathelade quidem (quæ ſua ætate dicebatur Lechelade) iuxta Oxonium fuiſſe ſcribit: Grekelade verò in proximo fuiſſe, non item ſcribit.

Etsi in proximo sit non omnino absimilis nominis fundulus (vt audio) de cuius re superioribus annis inter possessorem & Oxonienses ciues orta cõtrouersia est, eius nominis similitudine decepti, in proximo fuisse Cricladẽsem scholam somniãt; non alia persuasione, q̃ qua Aristotelem Oxonij studuisse existimant, q̃ fons quidã eius nomine vsq; appelletur: cum tamen inde natum videatur, q̃ scholastici quidã propter fontem recubantes, & per herbam fusi æstiuo tempore vaporis & refrigerij caussa, dum Aristotelis studio liberalius incubuerant, ex studij ratione nomen dederunt. Quamobrem non possum non cum illis insigniter doctis viris, quos Oxoniensis ille memorat, consentire, qui ex hac historiola nihil ad Oxoniensis instituti probandum colligi posse affirmabant. Id rursum tamẽ sentio, ope Cãtabrigiensis commentarij, cuius facit mẽtionem, effectum iri facilè, vt ille scriberet, Cricladensem scholam per Alphredum Oxoniũ esse translatam. Quod, etsi in rem suam, ita vanum tamen iudicat

Fons Aristotelis.

ut eluſa quæ ad inſtitutum ſuum faceret
tranſmigratione, Pendam Merciorum Penda.
regem inſolitis modis, miráque propè dixi
rabie perſequatur: quaſi ſemel malus ſem-
per malus. Gul. Malmeſb. in vita Gul.
Ruſi vehemẽter reprehendit iuuentutem
Herberti Noruicenſis epiſcopi, cognomẽ-
to Luſingi, ſeu, vt in exemplari, Loſingi,
propter adulationem, cuius tamen ſenec-
tutem propter pietatem, & duo Mona-
ſteria condita, alterum Norwici, alterum
Thetfordi in Norfolcia, magnis laudibus
extulit. Et Henrici quinti poſterior ætas
laudata, cuius prior reprehenſa fuit. Vt
& Henrici Belloclerici, qui primis regni
ſui annis omnibus inuiſus, poſtremis om-
nibus chariſſimus extitit. Quid veſtrum
fundatorem Aluredum cõmemorem, cu-
ius omne tempus inſequens omnes lauda-
runt, iuuentutem tantum Neotus Abbas
reprehendit. Malus homo eſt, qui nihil
in vita boni fecit. Sæpiſſimè mali bonum
faciunt, non in bonitatis & virtutis ratio-
nem, ſed in reip. ſuæ ornamentum atque
commodum. Quare quod fortuna Oxo-

nienſi obtulit, cum non admiſerit, nec cō-
ſilium meo iuditio ſumminiſtrabit. Imo
verò ne requirat ille roſam quæ præteri-
rit, vt dici ſolet. καὶ γάρ καιρόσ δ' ἐπὶ πᾶσιν
ἄριστοσ, vt ait Heſiodus. Etenim in omni-
bus rebus oportunitas temporis optima
eſt. Ita dixi quid operoſa illa (ſi diis pla-
cet) de Cricladenſibus ſcholis narratio
lōgo ſermone loquitur, quidq; eius author
ſenſerit: lōgè diuerſum ſcilicet ab eo quod
commentus Oxonienſis eſt. Quod com-
mentum tamen ſi verus hiſtoriolæ ſenſus
non ſit, quorſum hiſtoriola tendat ſe neſ-
cire, ingenue Oxonienſis confitetur. Nam
ſenſiſſe forſan non male Oxonienſis hiſto-
riolæ authorem Oxonienſis putat, ſed elo-
qui non potuiſſe propter infantiam idem
exiſtimat: intentionem probat, ſed verba
ſunt faſtidio, vt de Elwardo Gul. Mal.
dixit in proœmio. Atq; ita poſtquàm diu
in dubijs varius ſe torquendo voluerit,
& longa ſine capite fabula ſpiritū exhau-
ſerit, infulcerit q; quæcunq; dormiens ſom-
niauerit (quod ſine offenſione dictum ſit)
in dubio dubius hucuſq; permanet: &

Scy-

Scytharum more vagus, certas ſedes adhuc requirit: ſic vt remis ſit vſus an aurn felicius, non eſt facile iudicare. Itaq; cum nihil eorũ aſſerit, quæ in Aſſertione ſua ſe aſſerturum dicit, in eum id referre licet, quod Dion Caſſius lib. Hiſt. ſuæ 57. in Tyberium dictum refert, ab Auguſti morte nihil adhuc eius nomine perſoluentẽ. Narrat enim cum funus quoddam per forum efferretur, acceſſiſſe quendam, & mortuo in aurem quid inſuſurraſſe: interrogatũq; ab his qui viderant, quid nam dixiſſet, reſpondiſſe, ſe iuſſiſſe eum Auguſto indicare, nihil dum eius nomine quenquam accepiſſe. Sunt tamen (dicet Oxonienſis) multa, quæ ſi non hactenus, at ſaltem deinceps relata, illuſtrare Oxonienſ. Academiam poſſunt: ex quibus hoc vnũ eſt, cuius ipſe in cõmentarijs Aſſertionis antiquitatis Oxoniẽſis Academiæ meminit, quo aut antiquitatem Academiæ ſuæ, aut certe gloriam vendicet, vt ariolatur, nempe commemoratio nominis Oxonienſis Gymnaſij in Iure Canonico, libro Clementinarum quinto, capite

Mentio Oxonienſis academiæ in Clementinis.

capite primo de Magistris: quo loco de Cantabrigiensi Gymnasio mentio nulla est. At id si sciret qui hoc ariolatur, de Oxoniensi Gymnasio fieri eo in loco mentionem, non in virtutis perfectionisq; laudem et memoriam, sed in defectus imperfectionisque notam & remedium, à mentione iuris temperasset, nec tã magna de communi totius orbis consensu, (qui nullus est in eam rem quam ille fingit) erepasset: legat qui volet locum. Eadem ratione poterit etiam gloriari de Oxoniensi Academia mentionem fieri in constitutionibus prouincialib. tit. de Hær. etsi veritatis catholicæ professione cateras omnes academias vestram anteire historiola vestra contendat: Et de Io. Wickliffe eius alumno ãno salutis 1376. de quo plura leges in continuatione historiæ Ranulphi, à Monacho quodam S. Albani anno 1378. conscripta, quam alio nomine historiam sancti Albani libro primo nomino: Deq; ciuibus Oxoniensibus, qui vos suo oppido & vestra Academia seditione pepulerunt ãno domini 1354. De discor-

dia

dia etiã ãno à Christo nato 1264. regnãte Henr. iij. exorta (non dicãcontra regẽ) ob quã Northamptonæ exulastis, vt Ranulph. lib. vij. cap. xxxvij. & chron. Abindonense, quod Gualterus Hemingfordus Gisburn. scripsit, testes sunt. De indigentijs deniq; vestris subleuandis & promotionibus conquirendis cum essetis paupertate oppressi regnante Edwardo tertio, vt ex epistolis vestris ad eundem regem intellexi, ꝑ quas Robertus de Stratforde, Academiæ vestræ tum temporis Cancellarius (posteà Angliæ Cancellarius) & cœtus Magistrorum orarunt regem, vt dignaretur ad Benedictũ. xij. Ro. Pon. scribere, vt in creatione sua pro consuetudine vellet prouidere Oxonienſi Academiæ de quibusdam sacerdotijs, q̃ ecclesiasticis beneficijs carerent, & alios reddi tus in quotidianum victum non haberẽt: Vtq; molestias ingraueſcentes atq; motus ex grandi & antiqua controuersia, nata inter dominum Gailardum de Mota, diaconum Cardinalem, Oxoniéq; Archidiaconum, & Academiam Oxonienſem

Hinc fortasse iusiurandum, ne quis Oxonienſis legat Stamfordiæ.

enſem, ſedaret: Demũ, vt per omnem modum, nociuum & peſtiferum atq; adeo nouum concurſum ſcholarium ad oppidũ Stamfordiæ pretextu ſcholaſtica diſciplina, tam in diſpendiũ ſtudij veſtri, quàm »» in totius regni diſcordiarum ſeminarium »» generale, inhiberet. Quem cõcurſum quo»» dam ex vniuerſitate veſtra, quos ea de»» puluere produxit in viros, & honoribus »» pluribus decorauit, de corpore matris ſuæ »» perperam diuiſi, non eo contenti, ad loca »» vetita, quæ ſibi elegerant, paſſim alliciebãt »» & induxerũt. vtor verbis epiſtolarũ veſtrarum, quas Robertus de Paterna, vir Lincol. diœceſis, et publicus ſeruiens Academiæ veſtræ (vt epiſtolæ veſtræ referũt) authoritate quorundam Cardinalium tunc in Anglia, Epiſcopi Ceſtrenſis, & Archidiaconi Cantuarienſis papalis nuncij, vobis petẽtibus notarius publicus, ſcripſit, qui in vnum librum congeſſit non ſolum epiſtolas veſtræ Academiæ, ſed & publica inſtrumenta, & conciones Latinas examinatorias ſui temporis. Examinabantur enim per illa tẽpora ante à doctoribus

Robertus de Paterna.

Conciones examinatæ olim.

toribus theologicis, quàm de suggesto pro- ,,
nunciabantur, propter Wickliffi doctrinã. ,,
De his inquam recordatio est & in his-
toriis, & vestris etiã, vt vocant, regiſtris.
Quantũ autem operæ impendit Io. Pec-
ham archiep. Cantuar. vt vos ab vuis a-
cerbis ad dulces reuocaret, et Thomas de
Bradwardin Cancellarius Lond. primo,
postea archiepisc. Cantuar. vt eodem vos
reduceret et legendo, et opere, & libris in-
scriptis de caussa Dei contra Pelagium,
& de virtute caußarum vobis relictis, &
Robertus de Kelewarby, et Gul. Courtney
einsdem eccleſiæ quoq; archiepiſcopi, nolo
hic commemorare, vt nec multa alia quæ
sciens honoris caußa prætereo. Trãsiliſſẽ
& ista, niſi hiſtoriola veſtra huc vrſiſſet,
niſi res adegiſſet oſtendere, nõ ſemper quæ
de Academijs ſcribuntur, aut antiquita-
tem aut honorem cõmonſtrare: niſi Oxo-
nienſis non cõtentus ſuam produxiſſe an-
tiquitatem, etiam Cantabrigienſem A-
cademiam & eius authorẽ eleuaſſet: atq;
contempſiſſet, aliosq; non merentes lace-
raſſet, idque verbis perquam odioſis: ad

cuius

cuius rutam volui tamen mei sermonis uti pulegio, atque ita hanc rem agere, ut vlcera non refricem, nauos tantum & verruculas attingam, atque hoc parcius & suspensa manu, ne quem dolorem inferam. Quod si eius nominis sola cõmemoratio tantam gloriam pareret quantam tu existimas, ad eum modum etiã strigibus, maleficisq; mulieribus gloriãdũ fuit, quòd de eis quoq; coercendis atq; castigandis mentio est in legibus. At verò antiquitatem arguere, nullo modo potest, quia non ante Clementis quinti tempora, annis abhinc 264. recordatio ea cœpit. Sed de commemoratione nominis Oxonij in Clementinis, satis. De Oxonij nomine in Oxoniensi historiola, iam pauca dicam. In ea, quisquis eius author fuit, de authoribus Oxonij nominis non recte sentit, cum Saxonas Oxonium appellasse dicat, quod prius Bellositum dicebatur. Etenim vsu & antiquorum gentis nostræ scriptorum authoritate constat, Saxonas, vrbes à se nominatas, Ceastres appellasse, aut à fluuijs & vadis nomen dedisse:

Oxonij vrbis nomen.

dedisse: vt & Britannos suas (quibus muri erant) Caeres nominasse. Itaq; si à Britannis constituta aut nominata vrbs esset, Caeroxon diceretur: Sin à Saxonibus, Oxenchester, aut Oxenforde, ab Oxonio, (priori non antiquo tamen nomine) & Forde vocaretur, non Oxonium. Sed video tamen qua ad antiquitatem tendat Oxoniensis, nempe per Britannicum nomen Caerpenuhelgoit, quod Oxonium appellatum fuisse Galfr. Monemutensis libro primo de origine Britannorum author est. Quanq; in aliquot manuscriptis codicibus Kaerpenhuelgoid scriptũ obseruo. Sed id me parum mouet, cum propter distantiã loci, tũ q; in eadem historia ab Eulogij historiarum scriptore de gestis Britonum relata, Excestriam lego. Sic vt apud Monemutensem non Oxoniam, sed Exoniam sit legendum, facili errore: etsi liber ille Monemutensis, qui hodie impressus circumfertur, aliis in locis fœdis erroribus, atq; alienis dissonantibusq; sit corruptissimus. Eulogij enim libro quinto (quem mona-

chus Cantuariensis, non Maildunensi, vt Lelandus ait, scripsit) vbi de Aruirago sermo est, sic scribitur. Vespasianus mare sulcans, vt portum Douoria applicuerat, ab Aruirago prohibitus, iterum mare repetit, et ad portũ Totonesiæ applicauit. Villam vero Excestriæ per dies septem obsedit, quæ tunc vocabatur Caerpenhuelgoit. Hæc Eulogium. Eodem pertinet, quòd in quinque diuersis exemplaribus manuscriptis Galfridi, Exonii lego eo in loco. Haud dispari errore facile seduci poteris apud Matheum Parisium in historia maiori anno nongẽtesimo sexagesimo octauo, vbi Scribæ errore legit, Edgarum Oxoniæ congregatis Monachis Sidemannum præfecisse, cum in exemplaribus verioribus Florilegi Exonii legitur: Et in statutis quoque Edwardi tertij impressis, in quibus attribuuntur parlamento anni quinquagesimi, quæ ẽstituta sunt anno quinquagesimo primo: vt ex archiuis Regijs in arce Londinensi, & Io. Fabiano parte sexta scire licet. Denũ in publicis regni statutis vulgari inscri-

Errata codicum.

tra

tra lingua excusis, & ãno Richardi secũdi. xij. Cantabrigiæ in plebisscito conditis, mendum subest. Etenim capite. xiij. in ipso titulo legitur Cantuariæ pro Cantabrigiæ: magna certè Cantabrigiensis Academiæ iniuria, & veritatis dispendio. Hoc intelligo ex Charta optimi Principis Henrici sexti ad Academiam Cantabrigiensem, data anno regni sui tricesimoseptimo, in qua facit mentionem eius Parlamenti, atquè ad verbum recitat quæ continentur in eodem capite decimotertio. Error natus videtur ex breuitate scribendi Cant. quòd oscitanti atque parum diligenter expendenti lectori, tum ad Cantabrigiam, tum ad Cantuariam referri potest. Tanti est omnia expendisse acuratius. Sed de corruptione nominum satis. Ob distantiam loci dixi, q̃ Oxonia quidem longissimè abest à Totonesiaco littore, Exonia vero propè, sedecim tantum passuum millibus. Hæc tamen sic dico, vt non sentiam vrbẽ multis retro annis non fuisse: aut Oxoniam non appellatam esse, sed à Saxonibus id

nomen positum non fuisse: nec Gymnasij ab antiquis temporibus & cum primordijs vrbis inceptũ esse: quod tu tamen antiquitatis vrbis cõmemoratione sequeris. Qua in re quoq; cares arte, ô Oxonienſis. Quamobrem dum fugis culpam, incidis in vitium, vt Q. Horatius Flaccus ait. In vitium ducit culpæ fuga si caret arte. Præterea neque Bellositum proprio nomine, sed cõmuni credo, propter loci amœnitatem inditũ: vt nec Caleuam ab Antonino vocatum existimem, q̃ Lelandus tuus non contemnendus, vt ais, antiquarius, reclamet, & id planè neget: etsi Baleus centuria decima, titulo tertio de Oleno Caleuo ex suspitione Gesneri aiat. Sed ita tamen, vt, ferunt, dicat, affirmet nihil. Nam Lelando authore, Wallingfordiam non Oxonium Caleua significat. Quo magis nouum videtur quosdam Oxonienses iam dudum in lexicis tradidisse, quò puerorum animis id altius insidiat, & in ipsa viscera & medullas iuuentutis imbibatur, Calenam Oxonium esse: in qua primam & præcipuam totius Chri-

Caleua.

stianis

ſtiani orbis Academiam exiſtere dicunt: cum tamen iam multis argumentis comprobauimus, Cantabrigiam fuiſſe primam & præcipuam in Britannia, & ſub fine huius libri multas Oxoniẽſi antiquiores eſſe edocebimus. Quod certe propter hiſtoriæ veritatẽ magis, q̃ propter authoritatẽ Oxonienſ. minuendã dico, quod in omnibus refugio. Etenim ex animo vniuerſitates amo atque colo, vt certè debemus omnes. Antiquiſſimum Oxonij nomen, Ridocen exiſtimo, idq; ex monemutenſis libro ſeptimo, & Eulogio hiſtoriarum de feſto Arthuri libro quinto. Quibus locis de Boſo Ridocenſi conſule (quo vocabulo Fabius Queſtor de geſtis Anglorum Comitem ſignificari ſcribit, & Gulielmus Malmeſburienſis in titulo & præfationis exordio in hiſtoriam nouellam ad Robertum Glouceſtriæ comitẽ exemplo confirmat) faciunt mentionem. In quibus locis vterq; ſcriptor Ridocen, Oxenofordiam interpretatur. De eo Boſo de vado Boum, mentio quoque fit apud Galfrid. Monem. libro ſeptimo, quo ma-

gis intelligas cum de vado Boũ hoc in loco dicat, de Oxenofordia quoque in illis dictũ esse. Sed vtut est, vbicunq; de Oxonio siue eo, siue antiquiori nomine mentio est ante Aluredi tempora, de Gymnasio quod sciam verbum nullum: omnibus propemodum post Ranulphum, qui circa annum Domini 1363. vixit, quos ego hactenus vidi (vidi autẽ plurimos) Aluredũ authorem agnoscentibus, etiam Graio ipso cõsentiente, qui Gallicè fideliter, sed rudiori Idiomate scripsit, vti & Ioannes de Monteuille eques qui anno salutis 1367. itinerarium Hierosolymitanum scripsit Gallicè, & multi alij nostri pro more & instituto Gul. Neustrij Gallizantes, vt alio loco diximus. Is inquam Graius in Scala Chronica in vita Aluredi, sic habet. Cesti Roi Alured fist establir le vniuersite de Oxenforde. id est, iste rex Aluredus stabiliri fecit Academiam Oxoniensem. In qua sentẽtia etiam Lelandus tuus est, qui in verbo Isiacus in comment. in Cyg. cantionem scribit, alios prater historiola Oxoniensis authorem approba-

approbatæ fidei ſcriptores, inſtitutionem ſcholarum Iſiacarum manifeſtè Alphredo aſcribere. Nec certè vnquam legi tãtæ eſſe antiquitatis Oxoniũ, quantæ eſt Cricladum, quod bona fide refero, niſi apud te Oxonienſis. Propemodum dixi, quòd non omnes qui poſt eum fuerunt, cum illo cenſuerunt. Quod ſi qui antiquiores ſcriptores, aut alij quàm nos vidimus, qui multi ſunt, olim celebres, iam ſuppreſſi, aut ignorantia vulgi in excidio Monaſteriorum noſtri temporis conſumpti, ſuperioribus ſeculis ſuperfuiſſent, qui alium Oxonienſis Gymnaſij conditorem in ſcriptis reliquiſſent, id indubiè aut Polydorus, aut ante eum Ranulphus, eo tempore viuentes quo boni libri ſupereſſent, aut hiſtoria magna Iorenallenſis, qui alia initia quàm Aluredi tempora non intellexerant, aut alius quiſquam patefeciſſet: maximè noſtri temporis Baleus, Lelandus, & ante hos Polydorus, qui ſcio non diſſimulaſſent, ſi alia principia legiſſent, præcipuè verò Polydorus Vergilius, ſi vel in incerto authore id deprehendiſſet

vt Anglicæ historiæ lib. v. de Cantabrigiensi antiquitate fecerat: professus lib. j. historiæ suæ, noua & vetera, certa & incerta particulatim proferenda, vt quo plus ipse laboris hauriat, hoc plus legentes voluptatis capiant, cum legendo alia fide, alia gratia, alia ioco digna annotarint.

Aluredus non restituit scholas Oxonienses.

*Verum tu, cum nec philosophos authores retinere possis propter historiæ vanitatem, nec Aluredum conditorem retinere vis propter recentem ætatem, quem tamen relinquere non sit futurum commodum, quòd alium fundatorem nescias, non institutorem eum, sed scholæ vestræ restauratorem tantum facis. Sed vnde id quæso te? Certe ne vniuersus quidem ille libellus tuus omnibus artibus καὶ χειμερινῷ ὀνείρῳ (vt Luciani verba referam) id vel vna solida ratione comprobat, nec Oxoniensis historiola narratione sua quantumuis operosa (vt tuo verbo vtar) vllo perantiquarum quas vocat historiarum testimonio explicat, aut vno tantum argumento confirmat. Imo ne per vmbram quidem in ea vniuersa de Aluredo fieri mentio-*

mentionem, Lelandus in commentarijs tradit. Id quod & tu confirmas quoq; cũ dicas: Sed interim nullam de Alphredo mentionem facit (historiola) quem vtiq; silentio non præterijsset, si primus ille Academiæ nostræ conditor fuisset. Quod si reparatio tantũ esset (vt tu solus arbitraris, & ex te docti alij) & non institutio, fuisset id cõmodis verbis ab historicis aliquibus expressum atq; explicatum, vt est in hist. mag. Iorenallensi in vita Aluredi reparatio vrbis Londini hisce verbis. Idem rex (Aluredus) post incendium vrbium (per Danos) post strages populorum, London reparauit, & habitabilem eam fecit. Non autem fuisse Oxonienſium scholarum restaurationem, sed institutionem primam, Authores sunt eadem Historia Iorenallensis in vita Aluredi: & Ranulphus Cestrensis lib. vj. & eius sequaces, qui multi sunt, istis verbis. Scholas publicas variarum artium apud Oxoniam primus instituit. Et in epitome historica rerum gestarum principum versu conscripta memoriali,

S.v. Oxo-

*Oxonijs flores Alured fert iste priores.*
*Qui versus hodiè ascribitur Huntudonensibus illis ex li. v. quò maior fides sit in hac re, quorum primus est: Nobilitas innata tibi probitatis honorem, & qui sequuntur: vt semper aliquid addit & peruertit posteritas. Mitto Historiã Buriensem, quam regiam vocas, Ranulphi simiam, & cæteros huius sententiæ omnes. Quæ verba, primus instituit, & priores, manifestè docent fuisse fundationem, non reparationem, primumq; conditorem fuisse Aluredum. Nam si primus fuit, non præcessit alius: & quod iam primo institutum est, nemo eodem tẽpore restauratũ dicet præter te. Cuius rei nõ aliã confirmationẽ petam, quàm ex libro tuo. Scribis enim ex Rousso, Aluredum primo aut summũ secundo regni sui anno vniuersitatis Aulam fundasse, & eodem tẽpore in vniuersitatis vestræ fundationem, vt bona pars scriptorum astruit: restaurationem, vt tu solus existimas, incubuisse. Addis Ioannem Scotum Aluredi Sacellanum, primum fuisse qui bonas*

*literas*

literas & ingenuas artes apud vos profes-
sus est, sic vt ea præstiterit vobis, quæ Al-
cuinus Lutetianis. Ad hæc, ais Aluredū
nullis pepercisse sumptibus quò bonas lite-
ras in Academia sua veluti subnascen-
tes proueheret: & artium studia in ipsis
Academiæ vestræ initijs (quæ non vno
solo loco, sed vniuerso libello tuo Aluredo
tribuis) ferbuisse. Siquidem cōmentitiæ
illi vestræ fundationis historiolæ minimā
videris fidē adhibere, qui concedis Cāta-
brigiensem scholā vt Grammaticalē, ves-
tra vniuersitate esse antiquiorem: quiq;
ab antiquis illis & infantibus initijs
deficis, quorum sensum vix dum bene
concipis, & ad altera illa Aluredi, tan-
quàm ad sacram anchoram, per om-
nem librum, perq; omnes sermones atq;
scriptiones confugis. Dicis præterea Poly-
dorum libro. v. anglicæ historiæ scribere,
Oxoniam statim à principio multo cele-
berrimam fuisse. Cui & tu eodem in loco
succinis quoq;, & ab ipsa statim institu-
tione longè celeberrimam fuisse scribis.
Ita celebritati totus intentus, initia

impru-

imprudens confiteris, & dum castellum defendis, vrbem prodis, cum nec tu (vt confessio tua docet, etiamsi verbis rem dissimules sub initio commentarij tui, & postea tui oblitus, aliò per imprudentiam dilaberis) nec alij quos citas, alium Academiæ vestræ cõditorem quàm Aluredum cognoscatis. Sed promouebo causam tuam quo modo possum, vt desyderio tuo plusculum etiam q̃ concedit res elargiar, respondeboq; ex Hist. mag. Iorenal.

» ad istum modum. Licet tempore Aluredi regis, in toto occidentali regno Grammatica à nullo docebatur, tamen ante tẽpus eius in alijs regni partibus, in ciuitate videlicet legionum in Sowthwallia, modò Carleonum dicta, fuerunt Astrologi & philosophi in omni arte eruditi, vt Galfridus Monemutensis supra in libro suo de processu regis Arthuri satis commemorat euidenter. Et paucis de Beda interpositis, hæc subiungit. Sed secundum quosdã, ad huc ante ista (Bedæ) tempora fuerunt duo studia, Cirklade & Latheslade, quæ modò vocatur Lechelade, iuxta Oxoniam.

Oxoniam. Hactenus Iorenall. hist. In qua illud primo diligenter occurrit aduertendum, historiam testari, non fuisse olim ante Aluredi ætatem Oxoniense studium, (quod fundatũ dicit ab Aluredo) sed fuisse ante Aluredi tempora in alijs regni partibus Carleoni studium, fuisse ante Bedæ tempora Cirkladense & Latheladense studium. Neq; hæc tamen absolutè, sed secundum quosdam, quod perinde est atq; illud, fertur, Oxoniensis historiolæ. Et cum fuisse dixit, non esse intellexit, eo planè sensu quo Ouid. quinto de Tristibus, Nos quoq; floruimus: & Vergilius Maro Æneid. secundo, Fuimus Troes, fuit Ilium & ingens gloria Teucrorũ. Istis enim verbis periisse notat, nec iam tum fuisse: herbamq; esse vbi ista erant, nec vestigia quidem superesse. Ex quo & illud quoque sequitur necessario: Si deletæ essent Cirkladenses scholæ ante Aluredi tempora, neque Oxonienses scholas ex eis oriri, neq; per translationem nasci aut augeri, aut ab Aluredo restaurari, cum non essent prius

Cricladentia studia deleta.

prius à philosophis ortæ, neq; ob vicinitatem (si id iam monitus post hac caussaueris: nam post malam segetem serendũ tibi sæpius puto) coalescere potuisse. Huic & illud quoque secundo loco accedit expendendum ex historia, tempore Aluredi nullam fuisse scholam Grammaticalem ne per totum quidem occidẽtale regnum. Quod certè multo magis diceres, si ipsam Aluredi epistolam (in qua sui temporis inscitiam dolet) sapientiæ eius verum testimonium, ad Werferthum Wigornensem (seu Wictiorum) episcopum, a Boselo (qui primus fuit) duodecimum, & circa annum Domini octingentesimum nonagesimum quartum sedentem, legeres. Præfixa est epistola Pastorali Gregorij, quod ex Latino in Saxonicum Aluredus ipse vertit, & ad Werferthũ, vt ad aliorũ regni sui Westsaxonici primorũ Episcoporũ sedes vnum, in Cathedrali sua cuiusq; ecclesiæ conseruandum misit, addita macussa argenti vna (vt est in quibusdam codicibus) addito pugillari aureo, in quo esset manca auri, vt apud Guliel. Malm.

Mancussa.

*Malm. in vita Aluredi : addito an æſtel,* æꝼtel, *id eſt pugillari, vt idem Gul. transfert, in quo ſunt mancuſſæ quinquaginta, vt in ipſa Aluredi præfatione Saxonica legitur : quod regium magis eſſe videtur.* ⁊ to ælcum biſceop ſtole (*inquit*) on minum ꝓice : pille an on ſendan. ⁊ on ælcꝑe biꝺ an æꝼtel ſe biꝺ on ꝼiꝼtiȝũme moneceſſa. *Quæ ſic interpretor. Et vnicuiq; ſedi epiſcopali regni mei volo vnũ librum mittere, & vnicuiq; libro pugillarem vnum addere, in quo ſunt mancuſſæ quinquagita. Mancuſſa autem valebat monetæ anglicæ ſolidos duos denarios ſex, vt Tho. Sprottæus (ſeu vt Lelandus in cõment. in Dorouerno, Spottæus,) vult in chronicis anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto. Continet etenim triginta denarios. Etenim authore Ælfrico Abbate, qui Sprottæo multo eſt antiquior, in extremo fine Grammaticæ ſuæ Saxonicæ, Libra* On leoden, ẏꝛ punꝺ on enȝliſc. ꝼiꝼ

pene-

penezaſ zemaciza ð ænne ſcillinze. ⁊ xxx. penezа ænne mancſ. *hoc eſt, libra Latinè, Pund eſt Anglicè: quinque Denarij, faciunt vnum ſolidum: & triginta denarij, vnam mancußam: quæ ex eo nomen habere videtur, quòd manu cuſa ſit: de qua qui plura velit, leges Saxonicas Anglorum & Danorum legat: quibus vt Norfolciæ, Cantabrigiæ, & Deiræ populus vſus eſt, quòd Dani & Norwegij ea loca habitarunt, ita Gul. Normannus ſub initio principatus ſui vel maximè approbarit, vſq; dum Angliæ proceres ab eo impetrarunt, vt auitis & ſancti Edwardi legibus vterentur: authore Thoma Rudborno. Illud interim*

Solidus. *ſcire licet, aliam fuiſſe rationem ſolidorum ætate Ælfrici quàm noſtra. Nam per ea tempora triginta denarij faciebant ſex ſolidos, noſtra vero & Sprottæi, duos tantum & ſemißem. Sed de mancußa ſatis, redeo ad librum. Quem ipſum ab Aluredo miſſum adhuc ſuperſtitem vidimus anno ſalutis 1566. vna cum præfatione ſeu epiſtola, & propter antiquitatem*

tem venerati sumus. Ex ea Epistola seu præfatione, Gul. Malmesb. multa in vitam Aluredi transcripsit, deq; pastorali multa monumentis suis tradidit. At si toto occidentali regno scholæ erant nullæ, vbi Oxonienses erāt? Si tempore Aluredi nullæ, quomodo potuit Aluredus scholæ vestræ author esse? quomodo adiutor? Quod si eius author non fuerat, vbi Higdeni tui, vbi Hist. regiæ Higdeni mimi, & aliorum eius sequatium de Oxoniensis scholæ authore Aluredo, de artium varietate, de priuilegiorum multitudine commentum? Scribunt enim isti Aluredū Oxoniensem Academiam condidisse, & multis priuilegijs vrbem insignisse: quæ certè alia non sunt quam mera figmenta, studio in gloriam Oxoniensis Academiæ aut Neoti, vt paulo post dicemus, conficta. Nam Asserus Aluredi Sacellanus, Capgrauius, & Osbernus in vita S. Neoti, Hen. Huntud. & Gul, Malmesb. de gestis Alphredi, scholæ Anglorum Romæ (quam Ine rex construxit, & Ethelwolphus Aluredi

Oxoniensis scholæ author non fuit Aluredus.

Schola Romana.

pater reparauit) priuilegijs pontificijs intercedente Alphredo donatæ meminerunt, non Oxonienſis ſcholæ ab Aluredo extructæ, aut priuilegijs conceſſis munitæ. Vt non addam veri non eſſe ſimile, vt primo aut ſummum ſecundo anno regni Aluredi Oxonienſe Gymnaſium ab Aluredo conſtruatur: tum q̃ per ea tempora Burrhedus Merciorum rex, qui ad annos viginti duos Mercijs imperaſſet, iam tum imperauit, nec ante tertium Aluredi annum à Danis regno eſt expulſus, vt Henr. Huntud. lib. de geſt. Angl. v. memorat: tum quòd probabile non eſt Aluredum voluiſſe Gymnaſium conſtituere regno non ſuo. Nam Oxonium in regno Merciorum fuit. Et ſi maximè voluit, non tamen potuit, quòd de latibulis potius illis diebus cogitandũ illi fuit, quàm de Academijs: & quid haberet quod ederet, quòd quid conſtrueret curandũ. Quod autẽ ſuaſu Neoti Oxonienſe ſtudiũ ab Aluredo conſtitutũ à ſcriptoribus quibuſdã traditur, vanum cõmentum indicatur, cũ iam tum mortuus Neotus eſt,

cum

cum Polydorus ſuaſiſſe ſcribit.xxiij. videlicet anno regni Aluredi, & per ſpeciẽ tantum ſeu viſum, vt Aſſerus ſcribit, aliquando apparuit Aluredo: etſi per primos annos iuuẽtutem Aluredi viuus reprehenderat. Proinde per errorem ſcriptorum natum puto, vt ſcholam Oxonienſem dicant, cum Romanam dicerent. Alioqui Aſſerus ex familiaribus Aluredi & domeſticis, cui nihil eius vitæ & rerum geſtarum incognitum fuit, id vel maximè vt rem memoriæ digniſſimam retuliſſet. Quod cum verum fuiſſe & probabile Oxonienſis præcenſuerat, aſtutè factum ab eo eſt, vt antiquiora initia, etſi parum probabilia (nam recentiora poſuiſſe puduit) iſtis parum confiſus introduxerit. Quanquam & recentius initium nihil cogitando confitetur, cum præter alia quibus hoc oſtenderit, vt ante retuli, etiam Ioannem Beuerlacenſem primum fuiſſe Artium magiſtrum in commentarijs tradidit, de quo prius diximus. Sed ne videar multa dicere, & pauca comprobare,

Quo errore factum, vt Aluredus ſcholæ Oxon. author habeatur.

quæ cõtractius dixi, fusius explanabo. Nõ posco enim fidem quam non fecero: idq; argumẽtis non ex vitreis feneſtris, aut depictis parietibus, aut peristromatũ imaginibus petitis, ſed ex ipſis antiquitatis penetralibus, et vetuſtiß. hiſtoricis erutis.

Argumentum inſequentium.

In quo de reſtauratione ſcholæ Oxonienſis non eſt magnopere nobis laborandum, cum & ante iuſtis argumentis id conuellerim, & præter te, authorem id habeat neminem: Vt neque de origine duplici (quibus tu tanquam duobus anchoris niteris, incertus tamen cui potiſſimum adhæreas) eſt cur ſimus nimium ſolliciti, cum primam illam, vanam eſſe iam ante oſtendi. In ſecundam verò cum magnũ in ea ſit firmamentum tuum, iam eſt paucis incumbendum, & oſtendendum nec primo nec ſecundo regni Aluredi anno aut vniuerſitatis Aulam ab Aluredo poſitam, aut Academiam fundatam: multo vero minus hortante Neoto id eſſe factum, aut priuilegijs ab Aluredo munitam, vt vult Ranulphus, aut eorum multiplicitate præſtantem, vt docet hiſtoriola.

toriola. Quod dũ ostendero, ne molestũ tibi sit audire. Volo enim ego Londinensis non solum docere Cantabrigiẽsem Academiam Oxoniensi multo antiquiorem (quod ab oratore vel ab aliquo alio ex eo literario cœtu certioribus testimonijs probatum tibi cupis) sed etiam Academiæ vestræ originem examinare exquisitius, quid vernm sit inquirere accuratius, & rationum momenta põderare diligentius. Sic enim eluceſcet facilè vtra sit antiquior. Expediam quàm poßum pauciſſimis. Non enim longum iter est ad omnia. Incipiã à Neoto: à quo ad Aluredum transibo: & tandem de primis annis disputabo. Omnia ab origine repetam, & ab his reposcam, quorum sensus fecit fidem. Nam recentiores isti scriptores, qui veluti per manus videntur errores tradere, & ex suo etiam aliquid nõnunquam adiungere, vt de historica fide multum declinant, ita multa corrumpũt, quæ vetustiores historici vera prodiderunt. Quod ne criminationis cauſſa magis quàm veritatis gratia iniustè dicere

videar, exemplis rem commonstrabo. Cõtrouersia est inter scriptores, matrimonium ne legitimum fuerat inter Henricum primum & Matildam, ex Malcolino Scotorum rege & uxore Margareta femina laudatissima, natam, annon, quòd Matilda Deo dicata, regi inuita nupsit, & fœtum ex se natum demoni ob id deuouerit, vt quidam scribunt. Quid hic facies? Recentoribus ne, vt Matth. Pariſio, Tho. Rudborno, & Polydoro libro. xj. (laudatis certe Scriptoribus) hic accedes qui aiunt, an Edmero vetustiori Historico, aurito & oculato testi, qui plane negat, libro tertio de Hist. nouorum in Anglia sub initio: qui, re probe per Anselmum examinata, & regem & Anselmum ab omni crimine liberat suo qui præsens fuit testimonio. Rursum non conuenit inter scriptores, an Edwardus quem merito dicunt martyrem, ex coniugio natus sit, an secus. In qua controuersia, ad quos recurrendum est? ad Florentium Wigorn. Osbernum, Symeonem Dunelmensem,

Gul.

Gul. Malmesb. Vincentium Beluacen-
sem, Nicolaum Treuetum in Hist. Gal-
lica, & Antoninum Archiepiscopũ Flo-
rent. eiusq3 antiquitatis alios qui hac de
re tractarunt & affirmant, an ad recen-
tiores, qui secus dicunt? Hæc non eo refero
quò quicquam derogem sanctitati sacrati
principis, per quem non stetit hoc an illo
modo natus sit (vt nec Athelstano reli-
giosissimo principi, nec Gul. Normanno)
sed vt explicem credendũ esse potius in cõ-
trouersijs scriptoribus vetustis q̃ recenti-
bus. Præterea in dubio ad huc est, an
Gulielmus Paruis, dicatur Neubrigen-
sis an Nouiburgensis, Paruis an Paruus:
etsi magni momenti res non sit. Scriptores
recentiores, Paruum & Neubrigensem
scribunt: qui autem vetustiores sunt, aut
vetustos insequuntur, vt prosecutor hist.
Houedeni anno 1087. & antiqui eius
Neubrigensis libri, Nouiburgensem, &
de nouo Burgo nominant. Id quod etiã ex
epistola eius ante librum suum scriptum,
multis capitibus impresso copiosiorẽ, & ex
alijs vetustis libris facilè intelliges: etsi li-

bro hist. suæ. v. Polydorus Vergilius Gul. Neuburgũ vocitet. Ad hæc, sunt ex recentioribus multi qui scribũt Damianũ et Fabianũ, siue (vt alij) Fugatiũ ab, Eleutherio missos ad Lucium, & eũ una cum gente Anglica baptisaße primos. In vetustioribus tamen leges, Luciũ misiße Eluanũ & Meduuinũ nuncios doctos ad Eleutheriũ, christiana prius fide instructos, & sacris literis eruditos (de quibus ante fusius) qui non solum Luciũ, sed & populum Britannicum primi baptisarunt: quod recentiores in scriptis suis omiserunt. Quid multis? Fidem & authoritatem maiorem semper affert vetustas in omnibus controuersijs, vt quæ, res vt erãt viderat, aut illis quàm proximè acceßerat. Posteriores igitur examinabo ad primos illos incorruptæ vetustatis scriptores, qui aut illis diebus vixerant quibus hæc gesta sunt, aut his quàm proxime acceßerunt, vt ex illis haurire posßent. Inter quos primus primæq; fidei

Asser. Asser seu Asserus est, oculatus & auritus testis, qui ex intimis Alphredi fu-

mi-

miliaribus fuit, qui in eius Aula vixit, res eius & domesticas & forenses nouit, atq; etiam cum doctis regiæ familiæ viris consuetudinẽ habuit, omniaq; in vita & in morte diligenter obseruauit, vt solent qui historias veras scribere decreuerunt. Nam etsi Florileg us dicat Asserum Sireburnensem antistitem obysse ãno domini 883. (viuente ad huc Aluredo) & Assero successisse Suithelmum Aluredi elemosinarium ad S. Thomam: tamen qui paralipomenon annaliũ Asseri scripsit, ait defunctum eum hac vita anno 909. & Thristanum insecutum esse in episcopatum, nouem annis hoc est, quàm ex hac vita migrauit Aluredus, qui obiit mortem anno Domini 900. Licet in Catalogo Episcoporum Sireburnensium nec Thristanus, nec Suithelmus, sed Ethelwardus secutus legitur. Erat iste Asserus, homo doctus atq; grauis, vitæ integræ & fama celebris, authoritate episcopali insignis, & ab Aluredo ipso graui testimonio approbatus. Quibus nominibus eum plurimi fecit etiam Le-

landus tuus, in comment. in Cyg. Cantionem sub Alphredi nomine.

Neotus itaq; Glastoniæ abbas, vt cognatus Aluredi fuit, sic, q; bene regi cupiebat, eius iuuentutẽ amanter reprehendit, atq; ad meliora suasit, tum aliys de causis tum quia non inclinarit aurẽ populo suo cõquerenti de iniurijs. Istud apud Asserum, qui actus eius diligẽtissimè scripsit, lego: De schola autem Oxoniensi, re memorabili, Neoti suasu constructa per Aluredum, ne verbum quidem, vt nec apud alios vetustos quos deinceps commemorabo. Idem Asserus in Annalibus quoq;, etsi de Neoto facit mentionem, non tamen dicit Neotum suasisse Aluredo vt scholas Oxonienses fundaret. Meminit etiam vitæ Neoti antiquæ quidem, sed ab alio quodam diligenter conscriptæ (cuius initium est: Sanctus igitur Neotus fœcundæ Britanniæ, hoc addo q; anonymus est) sed in tota ea vita ne per somniũ quidem scholarũ Oxoniensiũ mẽtio est. De priuilegijs scholæ Romanæ cõquirendis, ad istum in ea modum Neo-

tus

tus hortatur. Pro tui ergo regni ſalute ac »
ſtatu ſanioribus vſus cõſilijs, legatos Ro- »
mã cum muneribus reuerendiſſimo Papæ »
Marino dirige, hunc obnixius deprecare, »
quatenus Anglorum ſcholis Romæ liber- »
tatem dignetur concedere. Ego enim vni- »
uerſæ carnis viam ingrediens &c. Huc- »
uſque in Antiqua Neoti vita. Quam Ioannes Capgrauius Libro de Sanctis Angliæ ſecutus quidem eſt, ſed diſſimulanter admodum, refertq; Neotum ſic dixiſſe. Nunc igitur quantotius Romam »
legatos dirigens, Martinum Papam »
magnis ampliare muneribus ne tardes, »
ſuppliciter rogans, vt Anglicam ſcholam »
in eadem vrbe ſitam, libertati non dene- »
get applicare, vt per hoc beneficium, gra- »
tius tibi præſtetur inter incommoda ſub- »
ſidium. Mattheus quoque Pariſius in chronica maiori, quem Mattheus Weſtmonaſterienſis ſecutus eſt, ſic ſcribit. Martinus ſcholam Anglorum Romæ, »
Alphredo rege deprecante, à tributo li- »
beram fecit. Simeon etiam Dunelmen- »
ſis. Martinus Papa ſcholam Saxonum in Ro-

*in Roma morantium pro amore & deprecatione Elfredi regis ab omni tributo & telonio liberauit. Quo in loco non facit mentionem suasoris Neoti. Ingulphus*
»»*item. Scholam Saxonum in Romana*
»»*vrbe pro amoris affectu benignissimi re-*
»»*gis Alphredi constituit ab omni tri-*
»»*buto liberam. Ad hos Henricus*
»» *Marleburgensis. Martinus Papa*
»»*scholam Saxonum prece regis Alure-*
»»*di ab omni tributo relaxauit. Insuper &*
»»*magnam sanctæ crucis partem Aluredo*
»»*misit. Historiæ dein Saxonicæ scriptæ*
»»*anno octingentesimo octogesimo quinto;*
»» ð ýlcan ȝeare forðferde se ȝo-
»»da papa marinus, se ȝeðeode an-
»» ȝel cýnnes rcole be Ælfredes
»» bene þeȝtreaxna cýninges, ⁊ he
»» rende him mýcele ȝifa. ⁊ þone þo-
»» de dæl þe Criȝt on ðrowode.

*Hoc est, illo anno obiit bonus papa Marinus, qui libertatibus donauit scholam gentis Anglorum precibus Alphredi*

*West-*

Westsaxonũ regis, cui misit multa dona, & frustũ crucis in quo christus passus est. Quod postea Aluredus dedit ecclesiæ Glastonienſi, vt Gul. Malmesburienſis in libro de antiquitate eiusdem ecclesiæ commemorat. Aitredus Rieuallenſis similiter. Summus vero pontifex tantam deuotionem gratanter amplectens, pijs precibus eius inclinatus, scholam Saxonicam ab omni tributo & telonio absoluit. Asserus demum in Annalibus anno 885. Nam eo anno, & natiuitatis Alphredi 33. Martinus, quem multi scriptores Marinum nominant, scholam Anglorum Romæ ab omni tributo (vel talento, vt aliquot libri habent, corruptè forsan pro telonio) liberauit. Martinus Papa scholam Anglorum in Roma consistentem, pro amore & deprecatione Alphredi occidentalium Saxonum regis ab omni tributo & telonio benignè liberauit. Et de gestis quoq; eodem anno & modo, paucis tantum immutatis vocibus, & Angulsaxonum pro occidentalium Saxonum, & morãtium pro consistentem

Martinus & Marinus, idem.

stentem suffectis. Quem sequutus videtur Henr. Huntud. in vita Aluredi.

» » anno Domini 884. Martinus Papa
» » scholam Saxonum in Roma morantium
» » pro amore & deprecatione regis Elfredi
» » ab omni tributo & telonio liberauit be-
» » nignè. Cum eo Rogerus Houeden conuenit, & quotquot alij sunt qui vetustatem sequuti sunt. In quo tamen, vt & in multis alijs ex ijs quos enumerauimus, de Neoto instigante ad libertates quidem scholæ Romanæ, ne verbum vllum. At de eodem impellente vt Aluredus extruat aut reparet scholas Oxonienses, multo minus, vt nec apud alios scriptores vetustos, qui ex eis saltem sunt qui magna authoritatis sunt, & hos sequuntur diligenter et bona fide, et maxime Asserum: cuius ipsissima verba ex libro de gestis Alphredi vt certissimæ fidei cum referant, nemo tamẽ Neoti meminit vt suasoris Oxoniensis Gymnasij cõstruendi, aut reparandi. Ad hæc cum idem Aßerus studiosius enumeret (vt solet omnia, nihil prætermittendo quod ad Aluredi res gestas

ſtas pertineat) omnes doctos & ſanctos viros qui Aluredo à conſilijs erant, qui à literis et pietate fuerant, vt Werfrithum Wigornienſem epiſcopum, Plegimundum Doroberniæ Archiepiſcopum, Athelſtanum et Werwulfum ſacellanos regios, Grimbaldum et Ioannem Sacerdotes atque Monachos eiuſdem, & poſtremo in loco ipſum ſe inter cæteros, non tamen Neotum hortantem ad Oxonienſes ſcholas conſtituendas ne per vmbram quidem ſcribit, imo neque tectè ſignificat, vt Lelandus exiſtimat, ſuppreſſo Iſidis vadi nomine. Id quod ex illis ipſis Aſſeri verbis ex libro de geſtis Alphredi, quæ Ioannes Lelandus in Commentarijs citat, facile liquet. In quibus non alienarum ſcholarum, ſed ſuæ regionis meminit, nec alius nationis, ſed ſuæ gentis puerorum: non Oxonij ſed Aulæ regiæ ſeu curtiſui, vt Aſſeri verbis vtar: non triplicium ſcientiarum profeſſionis, Grammaticæ, Philoſophiæ, & Theologiæ (vti Oxoniẽſis ex Rouſſo apud Lelãdum tradit, etſi antiquorũ monumentorum collegij

Schola quam ſtatuit Aluredus.

legij sui nomine id obumbret, q̃ collegium suum illustrare studet) sed Latinæ linguæ & Saxonicæ, quibus scriptionem addit. Atq; ista quidem non admodum tectè, sed apertissimè. Tectum admodum est quod de schola Oxoniensi tradit Asserus, nec oculis quantumuis Lynceis, nec menti cuiusquam conspectum aut cognitum, ne Lelandi quidem, etiamsi cæteris omnibus oculatior & hic sit, & in antiquitate Cantabrigiensis Academiæ à Sigeberto petita. In quibus certè credo non esse secutum illum suam cognitionem, sed aliorum iudicium & persuasionem, Polydori nimirum & Balei. Etenim quod Beda de scholis Sigeberti in vniuersum dixit, id hi ex suo ad Cantabrigienses tantum scholas expresso nomine accõmodant. Tectum & quod de Lechlade, Lathelade, & Creklade, (nominibus merè Saxonicis, Lelando authore) & scholasticorum hinc Oxoniam transmigratione Asserus scribit. Tamen cum de scholis Aulæ regiæ mentio fuit, oblata occasio erat commemorandi,

quem

quemadmodum Academiam Oxoniensem, aut vniuersitatis Aulam vel erexisset Aluredus, vel restaurasset, si res ita sese habuisset, non sine magna certè authoris gloria & facti laude: multoq; sane maiori, quàm prouinciarum, palatiorum, aut monasteriorum ædificatione aut reparatione, de quibus tamen Asserus vel diligentissimè scribit, nihil præteriens à primo natiuitatis Aluredi anno, ad ætatis xlv. Itaque tam est credibile vniuersitatem vestram, aut vniuersitatis Aulam ab Aluredo suadente Neoto constitutam, quàm est Ethelwolfum Aluredi patrem Oxoniẽses scholas posuisse anno christi incarnati 850. Aut annis ante hac sexaginta ab Offa Merciorum rege, imperante Carolo magno, fundatas esse, quod tamẽ probabilius esse scribit Fabianus parte sexta cap. cxij. quòd Offa, Merciorum rex erat: etsi neutrum videatur approbare: Aut nouum collegiũ Oxonij à Neoto extructũ: quæ Oxonienses quidam, non contemnendæ eruditionis viri, nuper in gratiam, credo, Oxo-

Ethelwolfus.

Offa.

nienſis Gymnaſij, atq; ad fulcimentum labentis antiquitatis ſunt cõmenti. Nam vt ille authorem nullum in cõfirmationem adducit, vel quòd nullum habeat præter illum vnum de quo Fabianus (ſi eum omnino habeat) vel ſi quem habeat, deceptus tamen publico errore vertentium Romã in Oxonium (nam Ethelwolfus ſcholam Anglorum Romæ reparaſſe dicitur) ita hic, opinionis ſuæ cum aliud non eſſet argumentum, perſuaſit ſibi forſan a Neoto extructum id Collegium, quòd nomen eius Anglicum, neu ſeu neou, quadam vocis ſimilitudine cum Neoto conſentiat. Niſi ſi cogitauerit à Græcis dictionibus νέος vel νεότης (quod tantundem eſt) deduci coniecturam, exiſtimãs, vt videtur à Gul. de Wichã reparatum ſolum, non antiãnos abhinc 200. à fundamẽtis extructũ eſſe. Gul. de Wicham dico, cognomento longum, ſeu vt Lelandus ait Perottum: hominem primo prebendis et præfecturis quatuordecim annui cenſus 900. librarũ conſpicuũ, vt ipſe (cum aliis totius regni clericis) Ro. ſedi ſignificauit, ad-mandatum

Gul. de Wichã.

datum Vrbani quinti, contra pluralitates beneficiorũ: postea archidiaconatu Lincolniẽsi, priuati Sigilli regij custodia, Angliæ Cancellariatu, Wintonienſiq; Episcopatu clarũ, & propter hoc aliudq; Wintonia collegiũ extructũ, ampliſſimosq; fundos donatos, omniũ ſæculorũ memoria dignũ: vt & propter trãsformatũ Windeſoræ caſtrũ, et extructũ Queneburgi caſtellum (quod Lelãdus Cuningburgh appellat) in inſula Shepeio, laudatũ. Erat enim Regi Edwardo.iij. in principio à fabricis, q̃ erat ingenioſus, et architectura delectatus: homo alioqui humilis cõditionis (vt hiſtorici referũt) et mediocris literaturæ. Nomen Wichã, à loco habuit vnde natus eſt, non à parentibus. Proinde Gul. de Wichã appellandus eſt, non Gul. Wicham, vt ſolet Polydorus atq; alij multi ſcriptores. Verum vt reuertar à Perotto ad Neotum, cum demõſtratum iam ſit Neoto Hortãte nõ eſſe conſtructum Oxonienſem Academiã, mirari ſubit vnde inter vetuſtos ſcriptores recẽtior Ranulphus, libro ſexto confidẽter quidem, ſed nulla antiquitatis

Windeleſore. Queneburgũ.

Contra Ranulphum de conſtitutione Oxoniẽ. Academiæ.

» » authoritate ſcribat, Aluredũ cõſilio Neo-
» » ti abbatis, quẽ crebro viſitauerat ſcholas
» » publicas variarum artiũ apud Oxoniam
» » primum inſtituiſſe: et eius vrbẽ in multis
» » priuilegiari procuraſſe. Et infra. Tertiam
» » (partẽ bonorum ſuorum) ſcholaribus O-
» » xonienſibus congregatis & congregandis
aſſignaſſe: neminem authorum quos ſe in
ſcriptorum catalogo ſecutum profitetur,
imitatus. Etſi Hen. Huntudonenſ. cuius
verba refert, ac præterea ex ſuo ſcho-
las Oxonienſes & ſcholaſticos adiungat,
authorẽ ſequi diligenter ſimulet. Etenim
nec Marianus Scotus, nec Henr. Hun-
tud. nec Gul. Malmeſb. nec Gualte-
rus Oxonienſis, nec Alfridus Beuerla-
cenſis, nec Galfridus Monem. nec Gul.
Rieuallenſis, nec Giraldus Cambrenſis,
nec Ioannes Sarisburienſis, nec Hugo Pi-
ſanus epiſcopus, nec Gul. Beuerlacenſis in
ſpeculo hiſtoriarum, nec Iuo Carnoten-
ſis, denique nec Martinus Polonus ſiue
penitẽtiarius, nec Florẽtius Wingorniẽſis,
(quem vel maximè Ranulphus ſequitur
in ſupputationibus annorum) Oxoniẽſes
ſcholas

scholas ne nominarũt quidẽ vt ab Aluredo institutas, aut scholasticos liberalitate eius fotos. Nisi si forte Hist. Francorum cuius meminit (quã non dum eo nomine me vidisse memini, etsi multas vidi Gallicas) quid habeat, quo opinionem suam tueatur. Imo nec Chronicõ Meritonensis cœnobij, nec Simeon Dunelmensis, nec Ailredus Rieuallensis, nec Ioannes Capgrauius, nec chronicõ reginale, nec Matheus Parisius in historia magna ab origine mundi, nec Mattheus Westmonasterienſis qui Parisium expressit, nec Io. Parisiensis in Chronico vniuersali (cuius initium est, in exordio mundi & initio creaturarum opifex omnium deus &c.) quod produxit ab origine mundi ad annum 1322. nec vetusti Annales Cantuarienses, neque Asserus, diligentissimus rerum Alphredi scriptor, faciunt mentionem Oxonienſis scholæ ab Aluredo conditæ, aut tantæ liberalitatis Oxonienſibus scholasticis ab eodem collatæ: vt nec tabellæ ante magnam historiã Matthei Parisij, nec volumina, quas rotulas vocãt,

Genealogiarũ principum, quæ multa vidi & latinè & Gallicè scripta: nec vllus alius vetustus scriptor quod sciã. Nã quos hactenus commemorauí scriptores vetustos, omnes qui scholarum meminerunt Aluredi, habent scholam Romanam beneficijs Alphredi recepisse libertatem: & suis domi suæ scholasticis tertiam partem facultatum suarum contulisse. Quidam enim ex his (inter quos Asserus est) ,, ad istum modum scribunt. Tertiã partem bonorum suorum scholæ suæ quam ex ,, multis suæ propriæ gentis nobilibus pueris ,, et etiam ignobilibus studiosissimè congregauit, dedit. Quem locum Matth. Parisius, & eius sequax Matth. Westmonast. quem Florilegũ vocant, peruertunt, atq; ,, ita legunt. Tertiam partẽ scholæ quã ex ,, multis Galliæ, aliysq; remotis regionibus ,, cõgregauerat clericis & doctoribus, secũ- ,, dum singulorum sufficientiam deputauit.

Vnde Oxoniensis institutio Alphredo attributa.

Vnde forsan alia, præter eam quam ante retuli, origo Academiæ Ranulpho fuit, ex male intellecto loco, quòd doctorum & clericorum isti meminerunt: & ex

eo

eo quoque, quòd ex Gallia vocatum Scotum opinio inoleuit. Quartam verò partem, de qua Asserus, vterque Matheus omiserunt: quam vt Ranulphus, addit, ita Monasteria relinquit, & ecclesias tantum in ea assumit. Sed vt eodem reuertar, quidam tertiam partem datam scholasticis, quidam pauperibus clericis tradunt: minimè addentes, Oxonienſibus, ſed intelligentes aut in vniuersum omnes ſuæ gentis, aut ſuæ ſcholæ domeſticæ literarum ſtudioſos. Nam Mercij (in quibus eſt Oxonium) ſua gens non erat, vt paulo poſt dicemus. Si quid tamen aliæ ſcholæ quàm ſuæ dederit, probabile eſt Romanæ dediſſe. Nam Henricus Huntudonenſis, anno 887. in aliis exemplaribus 888. ſcribit, Æthelhelmum Wintunenſiũ comitẽ, elemoſinã regis Elfredi Romã detuliſſe, ſic vt videatur omnis Alphredi animus Romæ fuiſſe nõ Oxoniæ. Ad hæc cum legem tulerit vt pueri prima ætate erudirentur, Oxonium eis non deſignauit locum, vt Gulielmus

Normannus suo filio Henrico Bellocerico Cantabrigiam. Ascribam legem ex
» Rieuallensi, maioris fidei gratia. Vni-
» uersis liberis hominibus totius regni no-
» stri prædicti, qui ad minus duas hidas ter-
» ræ possident, firmiter præcipimus, vt libe-
» ros suos vsq; ad spacium quindecim anno-
» rum ætatis suæ habeant & teneant litera-
» rum eruditionem, ipsosq; interim diligen-
» ter instruant, vt deum agnoscant, & de-
» inceps sapientiores sint, & melius eis sit.
» Verum (etenim forsan legendum) libe-
» rum hominem illiteratum, pro bruto, &
» cephalo, & stulto reputamus. Quod si forsan aliquando legas apud aliquem historicum, Ethelwardum, Aluredi filium natu minimum, fuisse virum literatissimum, aut literis apprimè instructum (quod potest fieri) hoc ne arguet Cantabrigiæ aut Oxonij fuisse eum eruditum? Asserus enim affirmat, eũ & cæteros regios liberos, domi patris suæ cum alijs nobiliũ pueris fuisse educatos: et hũc secutus Florilegus, ãno 871. scribit Eadwardũ & Ethelwardũ semper in curia regis fuisse literali

terali scientia educatos. Postremo, cum Asserus de his quæ Aluredus fecerit monasterijs, ecclesijs, & seruis dei nominatim in Saxonia atq; Mercia meminit, mirum quamobrem eadem opera scholas quoq; in Mercia non memineriť, si in ea Academiam Aluredus posuisset. Idem Rieuallensis de distributione facultatum Alphredi in scholas et scholasticos Oxonienses ne gry quidem: quicquid Ranulphus censuerit, qui largitatem Aluredi à Romanis scholis ad Oxonienses, & à scholasticis Saxonicis seu Anglicis Romæ, ad Oxonienses scholasticos in Anglia vnus inter primos conuerterit. Qua prodita semel opinione, qui post eum insecuti sunt, eadem pari fide referunt, ijsdē eius vestigijs incedentes, & eisdem penè verbis vsi: de fide & veritate rei parum solliciti. Vt historia Brutus, quam tu historiam regiam nominas (cuius initium est, de patre istius Bruti Historia videntur dissonare) quæ propemodum nihil aliud est quàm Ranulphi simia: vt & Monachus ille qui historiam Gla-

Ranulphi errorem secuti multi.

ſtonienſem ſcripſit, & is qui marginalem notam apud Diuiſienſem addidit, & chronicon Iorenallenſe, Caxtonus, Florilegus, Ranulphus, Fabianus, Hardingus, Henricus Marleburgenſis, Polydorus, Baleus, Lelandus, Lilius, Volaterranus Middendorpius, Iuſtus, & quotquot alij ſunt eius generis. Proinde nihil miror, ſi Ranulphi, ſi Hiſtoriæ regiæ, ſi Florilegi, & huiuſmodi ex vetuſtis recentiũ ſcriptorum authoritatem præponderare debere dicat & conſtituat: Si Fabiani, Polydori, Lilij, Balei, Caxtoni, Lanqueti, & aliquot aliorum nouorum authoritatem in hac controuerſia lubenter amplectetur Oxonienſis, qui cum hos omnes in medium attulerit, vnum tantum Ranulphũ authorem produxerit. Cuius authoritas quanti ſit in hac cauſa, arbitror iam omnibus eſſe notum. Verum ſi non ex eo vno penderent vniuerſi, non mereretur tamen hiſtoriæ laudem, quæ ex nouis & recentibus, non autem à vetuſtis & primis rerum Scriptoribus fidem eſſet allatura. Quapropter neque ego certè vſus eſſem recen-

recentium authoritate, nisi tibi in hac controuersia placere ex vsu animaduertam, sic vt non alij æquè. Vsus autem sum paucissimis, vt & impressis paucis, cæteris omnibus scriptis, quibus delector maximè, vt incorruptæ & veneranda vetustatis exemplaribus. Atque hæc quidem causa est, quamobrem tam multi scriptores, primam institutionẽ scholæ Oxoniensis Alphredo ascribant. Inter quos Historicus Glastonienſis (non Gul. Malmesburiensem dico, qui de antiquitate Glastonienſis ecclesiæ fideliter scripsit) in gloriã Neoti abbatis sui nimiũ affectus, studio videtur omnia corrupisse. Siquidẽ quo loco de gestis Alphredi scribit, vtitur primo ipsis verbis & sententijs, quas in antiqua Neoti vita (de qua prius) inuenit. Postea qua eadem antiqua Neoti vita Romanæ scholæ tribuit, is ad Oxoniensem scholam transfert. Referam verba, vt fraudem detegam, & exemplo rem illustrem. Rex Alphredus (inquit) dei seruus, Neotum sæpius adijt, suisq; nonnunquã vtebatur consilijs.

Dolus posteriorum scriptorum.

Hactenus

Hactenus bona fide ex vita antiqua Neoti. Tum peruertit omnia, & addit
» ex Ranulpho. Consilio namq; Neoti ab-
» batis publicas variarum artium apud O-
» xoniam primus instituit. Dein apponit quæ ad sensum eorum faciunt, quæ à Ioanne Capgrauio, Simeone Dunelmensi, & cæteris iam ante commemoratis de schola Romana scribuntur, ad scholam Oxoniensem detorquens, in hunc modum.
» Romámque legatos misit, obsecrans do-
» minum Papam Martinum, vt Anglo-
» rum scholis eandem libertatem quam
» Romæ habent dignaretur concedere: &
» quod à sanctissimo patre petiit, sine vlla cũ
» ctatione impetrauit. Quibus interpositis, postremo in loco subdit quæ Ranulphus præcedentibus annexuit, nimirum,
» & in multis articulis priuilegiari procurauit: confundens & quæ vetusti & bonæ fidei scriptores de schola Romana scripserunt, & quæ Ranulphus ex suo ad Oxoniensem scholam per vim iniuriamq; detorsit, quæque antiqua Neoti vita de Neoto tradidit: artibus vsus et ille quoq;

quo

quo Oxoniensem scholã ab Aluredo positam prater authoritatem constituat.

Quod qui dicunt primo aut summũ secundo regni Aluredi anno factum, lõgè à scopo aberrant. Etenim his annis & insequentibus septem continuis, Alphredus cum hostibus pugnauit, vt Gul. Malmesb. author est: & per syluestria Summersetensis paga loca in magna tribulatione et angustia inquietam vitam ducebat, vt Asserus anno 878. scribit. Cui vix erat quod esset, nisi quod à Paganis abstulerit, aut ipse piscãdo cæperit, aut à rusticis & eorum vxoribus in panificijs habuit, aut à Denewolpho suario, hospite suo, (quem episcopum postea Wintoniensem ipse fecit) accepit. Nolo hic inopiam obijcere, quo minus Oxoniensem scholam extruxerit, vt solet Oxoniensis Cantabro: nec quòd extorris, profugus, & inglorius à scriptoribus dicitur, vt alio loco diximus. Nec quòd anno decimo, postquàm nouem pugnasset cum Danis, captus sit, & in carcerem detrusus ab hostibus, in quo ad annùm vnum ante permansit,

Nõ primo aut secundo regnã Aluredi anno constitutum Oxon. Gymnasium.

Alphredi tribulationes.

manſit (vt Io. Pariſienſis natione Gallus in Hiſtoria ſua anno 872. refert) quàm ſanctus Neotus (vt Aſſer verè anno 878.) aut Sanctus Cuthbertus, (vt Hiſt. Dunelmenſis in gloriã patroni ſui, Gul. Malmeſburienſem lib. ij. de regibus ſecutus, & aliæ parum verè habent) meliora nunciarit. Iſta volo ſilentio preterire, ne in miſerias boni principis inſultare videar. Ad hæc primis hiſce annis cum iuſto exercitu prælia octo (vt Aſſerus) nouẽ (vt Hen. Huntudonenſis. Symeõ Dunelmẽſis, et Florilegus ſcribunt,) commiſit cum Danis, vt ante eſt expoſitum, præter innumerabiles et quotidianas irruptiones, quas Alphredus cum ſuis contra Paganos magna contentione atq; ſtudio indefatigabiliter habuit, vt Florentius ait, & attritus tandem (vt eiuſdem Florẽtij verbo vtar) atq; regno exutus, cogebatur in anguſtias Æthelingiæ inſulæ (quæ hodie Athelnea, Atheney, & Ætheney dicitur, ac quinq; paſſuũ millibus Tauntona abeſt) confugere, & ineà ad annos tres, vt & Gleſtingienſibus paludibus

Aethelingia Aluredi latibulum.

Iudibus quoque aliquando (vt chronicon Dunelm. refert) extorris regno (vt Gul. Somersetus lib. de Pont. tertio, & Io. Parisiensis anno 872. vocant (& inglorius latitare (vt Symeon scribit) spoliatus omnius possessionibus & fortunis, vt Ailredus Rieuallensis vel ipso Aluredo conquerẽte tradit, quo minor occasio sit scholis variarum artium Oxoniæ illis diebus construendis. Verba Alphredi ad suos apud Rieuallensem, hæc sunt. Non aliena ,, petimus, sed nostra repetimus: nostra no- ,, bis eripuerunt, nostra possident, nostra ,, luxuriosẽ consumunt, nostra Idolorum ,, suorum sacrificijs expendunt. At si suf- ,, fecisset ille scholæ Oxonienſi construendæ et alendæ, non tamen Oxonij potuisse aut voluisse credendũ est. Oxonium enim in regno Aluredi nõ fuit, sed regno Merciorũ per ea tẽpora. Quo vt rationi consonũ non est eum voluisse scholas fundare, ita si vel maximè vellet, nõ potuisse tamẽ viuẽte et imperãte adhuc Burrhedo (quẽ Asserus Burghredũ vocat) Merciorũ rege, qui expulsus regno à Danis est nõ ante annum

Domini

Domini 874. postquam annos regnasset. xxij. teste Henr. Huntudonensi lib. v & Asserο de gestis Alphredi anno 874. anno quarto videlicet regni Aluredi regis, prout antiquus etiam Genealogiæ principum Brit. & Sax. liber refert, qui ita cum Florentio Wigornienſi consentit,

» » ut si ab eo natus esset. Burrhedus (inquit)
» » anno quarto Ætheldredi expulsus à regno, Romam abijt, vbi non diu viuens
» » defunctus est, & in schola Saxonum in
» » ecclesia beatæ Mariæ sepultus requieſcit.

Hæc eadem verba propemodum habet & Asserus ãno 874. Dein Geneologiæ scriptor addit. Pagani quoq; post eius expul-
» » sionem totum Merciorum regnũ suo do-
» » minio subdiderunt. Et rursus idem. Pa-
» » gani eodem ãno quo Burrhedus expulsus
» » regno est, Ceolpho eius ministro (insi-
» » pienti addit Asserus, & Ceolwulfe appel-
» » lat) regnum Merciorum custodiendũ ad
» » tempus commisere. Verum triennij tem-
» » pore completo, partem illius inter se diui-
» » serunt, partem autem illi dedere, & eum
» » regnare permisere, qui vltimus regum

Mercio-

Merciorũ extitit. Post cuius mortem, ,,
Westsaxonum rex Alfredus, vt exercitũ ,,
Paganorum Danorum suo de regno ex- ,,
pelleret, strenuitate sua Londoniam cum ,,
adiacentibus terris recuperauit, & par- ,,
tem regni Merciorum, quam Ceolphus ,,
habuit, acquisiuit. Non absimilia scri- ,,
bit & Ranulphus lib. vj. Hoc anno (in- ,,
quit) Dani Lindesciam deserentes, ve- ,,
nerunt ad Rependon, vbi expulso rege ,,
Merciorum Burdredo, regnum illud ,,
tradiderũt cuidã Colwlfo (Ceolwulfo scri- ,,
bendum) Burdredi ministro, eo pacto vt ,,
quando vellent, illud reacciperent. Verũ ,,
triennio elapso, partem regni illius inter ,,
se diuiserunt, partem Colwlfo reliquerũt, ,,
qui etiam vltimus rex Merciorum fuit. ,,

In qua re ideo Cestrenſi credendum est, quod antiquos scriptores eius rei authores habeat. Hãc diuisionem factam quidem anno sexto regni Aluredi, & anno salutis octingentesimo septuagesimo septimo Henr. Huntudonensis libro quinto author est: autumnali vero tẽpore, referunt historiæ antiquæ Saxonicæ in hũc modũ.

ꝛ Þa on hęnſęrte ȝęſoꝛ ſe hęre on Myꝛcna land. ꝛ hiꝛ ȝeðæl-
dó ſum. ꝛ ſum ceolpulfe ſealden.
*Hoc eſt, & tum in autumnale tempore profectus eſt exercitus in Merciam, & partem inter ſe diuiſerunt, & partem Ceolwulfo dederunt. Imo ſi quid credendum ſit hiſtoriæ Burienſi, quam tu regiã vocas, Dani muſis formandis parum propitij, Oxoniam etiam anno regni Aluredi xxij. occuparunt. Hoc anno (inquit) rex Aluredus fugauit Danos de Cantia, de Oxonia, de Chicheſter. Erat iſte annus 894. ex quo Chriſtus natus eſt, teſte Ranulpho, cuius verba Burienſis iſte refert. Quod miror Oxonienſem non aduertiſſe, maximè in hiſtoria ſibi familiari, & penè ſolæ: quamque regio nomine dignam cenſeat, cum vix monachi authoris appellationem mereatur. Etenim omnia aliena ſunt, nec quicquã ſuum, preterquã peculiaria quadã ad monaſterium Sancti Edmũdi pertinentia. Quibus omnibus ſi quis animum adhibeat, facile intelliget,*

telliget, non primo aut ſummum ſecundo regni ſui anno, imo ne quarto aut ſeptimo quidem ſcholam Oxonienſem Aluredũ poſuiſſe, ſi omnino poſuit: maximè, q̃ viuentibus adhuc fratribus natu maioribus (is enim natu minimus erat) rex non fuit Aluredus, ſed ſecundarius, vt Aſſerus & cæteri ſcriptores antiqui nominant, quem Brutus & vetuſti authores Anglici Dolphinũ vocant, vt hodie Gallia regis ſui filium natu maximum. Nec regnum Merciorum regnũ ex ſe eſſe deſiit ante expletum annum Domini 875. minimũ, qui annus regni Aluredi quartus fuit. Nam is regnare cæpit anno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo primo, vti Aſſerus eius rei ſcientiſſimus author tradidit. Quo tamen anno 875. ſtatim non cõiungebatur occidentali ũ Saxonũ regno, niſi nomine tenus. Siquidem Æthelredus Merciã & Londinũ (præcipuã Merciorũ vrbẽ) genero ſuo Ethelredo cõmiſit, qui ea ad Edwardi hæredis Ethelredi tẽpus retinuit. Quo mortuo, Edwardus regno ſuo Weſtſaxonico Merciam annexuit, vt Dolphinus.

Gul. Malmesb. lib. quinto scribit. Sic tamen vt retentis sibi Londino & Oxonio, reliquum sorori Elsfledæ Etheredi vxori, durãte vita non sustulerit, quæ ad annos octo post mariti mortem Merciũ magna laude gubernauit. Vnde illud de Elsfleda apud Henri. Marleburgensem.

Elsfleda.

Fecit natura puellam,
Sed probitas fecit nomen habere viri.

Istis subscribit & Symeon Dunelmensis, qui Londinum & Oxonium, cæterumq; Merciorum regnum, non ante occidentaliũ Saxonũ regno iunctã scribit, q̃ Edwardus rex regnare cæperit, neq; tũ quidẽ primo quoq; tẽpore nec anteq̃ Egelsfleda (quã Ingulphus anno 884. Æthelsfledã vocat) Etheredi vxor & Alphredi filia è vita decessit. Anno enim 912. sic Dunelmen-
,, sis scribit. Eximiæ vir probitatis dux et
,, Patricius, dominus & subregulus Mer-
,, ciorum Etheredus, post nõnulla quæ age-
,, rit bona decessit. Post cuius mortem vxor
,, eius Egelsfleda, regis Alphredi filia, reg-
,, num Merciorum, exceptis Londonia &
,, Oxenofordia, quas suus Germanus rex
Edwar-

Edwardus sibi retinuit, strenuissimè annis
octo tenuit. Prætereo quæ in Bathoniensi chronica lego in Athelstano de hac re:
Athelstanum nimirum nepotem Ælfredi, anno 926. totius Angliæ monarchiã suscepisse, solumq; absque aliqua aliorum conditione super totam Angliam regnauisse, quod Alphredus et Edwardus propter Danorum irruptiones & inuasiones facere penitus non prævalebant. Sunt tamen ex scriptoribus, vt Gul. Malmesb. qui dicant Alphredũ fuisse primũ totius Angliæ Monarcham: vt & Ailredus Rieuallensis, postquã Godwinus regni socius vita functus est. Quod ideo scriptum esse chronicon Eboracẽse tradit, quòd omnium regum qui à Romana sede vnctus in regẽ est, primus extitit. A Leone enim pontifice Ro. eius nominis quarto Roma vngebatur in regem, anno à christi natiuitate 853. Referam verba chronici. Hic (Alphredus) fuit primus rex in Anglia qui fuit vnctus, & accepit coronam de Papa Leone. Propter hoc dicitur secundum chronicas Anglorum, primus Monarcha

Primus Angliæ Monarcha.

narcha, vt ſuperius eſt notatum. Quod certe verius exiſtimo: etſi legamus in libro de Concordantijs chronicantium ſub litera M. ſecunda monarcha ratione Alphredum imperaſſe. In eo enim ſcribitur, primos monarchas Anglorum tripliciter dici ſecundum chronicantes, vt eius verbis vtar. Nam primo modo, Anglorum Monarcha primus dicitur, qui Angliam in ſeptem regna diuiſam, ſub vnius imperium redegit: reges tamen ſub ſe regnare permiſit, & tributa ſoluere coegit: vt Egbirtus ſeu Egbertus. Secũdo, qui nõ ſolum alia regna cõquiſiuit, verum etiã vt reges ſub ſe dominentur renuit, regna ſic conquiſita in comitatus diuidens: quo modo Alfredꝰ Egbirti regis nepos, primus monarcha dicitur. Tertio modo primus monarcha nominatur, qui non terrã ſolã, ſed etiã mare circumfluũ ſuo dominio adiecerit, vt pacem omni ex parte retineret: qua ratione Edgarus, rex pacificus, Edwardi ſenioris nepos, & inclyti principis Alfredi pronepos, primus monarcha nominatus eſt. Hæc etſi commodè libri de concordantijs

Triplex monarchiæ ratio.

dantijs chronicantium author distinxit, tamen exempli gratia Alfredum potius, quàm rei gestæ fidei caussa introduxisse videtur, si Historiam Bathoniensem respicias, vt certè par est propter eas quas adducit rationes de Danorum bellis & irruptionibus. Quod si primam Monarcham omnino fuisse contendas Aluredũ, non ante tamen annũ Domini 886. vt ait Matth. Westm. in Flor. histor. eodẽ anno monarcha fuit: nec omnibus regni partibus, sed illis tantũ quas non occupauerant Dani. Dani autem Mertiam, vt ante dixi, tenuerunt, quam eis eripuit Edwardus non Alphredus, vt in eodem Mattheo anno 907. Nec primo quoque tempore. Nam Dani in Merciam hostiliter sunt ingressi (eodem Florilego authore) anno Salutis 911. mortuo iam Alphredo, et nullo loco paci atq; studijs ponendis Oxoniæ relicto. Ex his ergo sequitur, neque per primos regni Aluredi annos, vt nec per postremos etiam, Oxonienſem Academiam ab Aluredo constitutam: nec hortante Neoto id factum,

nec primo aut summũ secundo anno rem gestam, vt Rossus in Academijs, & in ex Rosso iudicatis: contra certè scribens quàm Lilius in tabulis vniuersalibus sua manu scriptis, atq; chronicis existimat, in quibus Polydorum secutus, tradidit anno Domini 895. Oxonienſe Gymnasium positum, & anno regni Aluredi. xxiiij. ea propemodum ætate qua expirauit: et contra quàm tuus ille censuit qui anno Salutis 885. Grammaticalem scholam Oxonij ab Aluredo positam astruit, et Lanqueti chronico supplementum addidit: contraq; quàm hi censuerunt scriptores, qui monumentis suis reliquerunt, Martinum P. R. non nisi anno Salut. 882. authoritatem concessisse Aluredo construendi scholam Oxonienſem, post annos vndecim, hoc est, quàm regnare cæpit. Aſſero enim authore regnum inchoauit anno Salutis octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Si quid tamen gestum sit & excitatum, tempore pacis gestum & excitatum est. Nam authore Ailredo Rieuallenſi, in diebus pacis non torpuit

torpuit otio, sed legere & scribere, & »»
sacras apices (refero Rieuallensis ver- »»
ba) in linguam Anglicam vertere la- »»
borabat, leges christianissimas & scripsit »»
& promulgauit: in restaurandis ecclesijs »»
quas impia manus Danorum euerterat, »»
in reparandis, ditandis, ornandisq3 mona- »»
sterijs desudabat: inter quæ duo nobi- »»
lissima condidit. Hæc cum Alphredum
gessisse Rieuallensis scribat, quem ad Hẽ-
ricum Neustriæ ducem, postea Angliæ
regem, omnibus pietatis laudibus studuit
commendare, quòd ab eo genus duxisse
vellet ostendere, tamen de scholis Oxo-
niensibus, præcipua laudis gloria, ab Al-
uredo fundatis, de fortunis eius scholasti-
cis Oxoniensibus distributis, ne verbum
quidem, vt nec apud alium vetustorum
scriptorum quenquam ante Ranulphum
Cestrensem quòd sciã, qui nulla sanè an-
tiquorum authoritate ista scribit. Itaq3
recẽtium scriptorum fraude atq3 vitio vi-
detur hoc initum, sed insequentium neg-
ligentia confirmatum. In qua ne nos Cautio
quoq3 atq3 posteri in vtramq3 aurem dor-

 mientes

mientes persistamus, diligenter circũspiciendũ, neue quid temerè credamus (quod nerui atq; artus sapientiæ esse M. Cic. docet) attendendũ. Sunt enim qui tendunt insidias, et præteritis suis dolis fidem facere futuris historijs, nec dũ ex toto aditis, studeant: suamq; sententiã aliorũ nomine & authoritate munitam, quasi ab antiquitate natã populo abtrudunt. Præscribunt enim (quod compertum habeo) vulgaribus historicis Anglicè scribentibus, qui ex alieno iuditio toti pẽdẽt, vt in Rapsodijs suis, & consarcinatis centonibus de antiquitate Oxoniensi sic pronuncient.

Oxoniensis cõmentum.

„ Aluredus anno christi 872. consilio pij
„ viri & eruditi Monachi Neoti, aliorũq;
„ doctorum virorum eius ætatis, Oxonien-
„ sem Academiam fundauit: & libertati-
„ bus multis, priuilegijsq; commodis & pre-
„ claris cõmuniuit. Historiola tamen eius
„ Academiæ, antiquiorẽ multo videtur in-
„ dicare, atq; ad Græcos quosdam Philoso-
„ phos, qui in Insulam hanc cum Bruto a-
„ liisq; Troianis venerant, originem referre.
„ Qui vt postea loco quodã non longè Oxo-

nia

omia posito, corruptè Crekelade pro Græke-
lade appellato, sedes suas posuerunt, ita
postea amœnitate loci allecti, eo soli com-
migrarunt, vbi nunc Oxonium est, ibiq3
ingenuas artes docuerunt. Hanc scholam
bellis tandem ciuilibus temporumq3 vicis-
situdine fractam & concussam, atque ad
extremas ruinas perductam, Aluredus
velut secũdus fundator, in pristinũ statũ,
vt non nemo ait, reuocauit. Qui præter
multa à se præclare gesta ad alẽdas augẽ-
dasq3 bonas literas, eo loci collegiũ magnæ
vniuersitatis Aulæ nomine, nũc vniuersi-
tatis collegij appellatione construxit, & in
ea mvgistri nomine gubernatorem, &
lxxviij. sociorũ numerũ instituit, ex qui-
bus xxvj. theologi. xxvj. philosophi, & to-
tidẽ grãmatici erãt. Ad quẽ numerũ alẽ-
dũ, quãtũ necessitatibus cõmodè inseruire
posset, è fisco regio ab hæredibus et succes-
soribus suis in æternitatẽ numerari iussit.
Quod, vt vetusta collegij monumẽta te-
stantur, non ante defecit, quàm regnum
susceperat Gul. Neustrius, qui schola-
sticis offensus, eis primus id subtraxerit.

Hæc

*Hæc Anglicis historijs ab Oxoniensi dolo commissa, & à me latina facta, quemadmodum cum historiola conueniant, ex collatione facilè intelliges. Etenim neque Crekelado Oxonium translatos Græcos docet, nec Oxonij docuisse tradit historiola, quam saltem ante aßertionem nobis proposuit Oxoniensis. Quod si in reliqua historiola id contineretur, Oxoniensem non dissimulaturum, aut silentio preteriturũ, quòd in rem suam fuisset vt ille quidem existimat, affirmauerim. Sed demus ita eße, quod tamen Oxoniensis in commentarijs negat, Lelandus ait. At per quem & quo tempore dicat velim. Lelandus de translationis authore atque tempore silentium esse ingens in historiola dicit: id quod etiam Oxoniensis confirmat in commentarijs. Esto tamen per Aluredum translatos, vt Cantabrigienses commentarij tradunt, quos vt vanos Oxoniensis spernit. An antiquiorem ergo statuet Aluredo Oxoniensem Academiam? Alius certè quàm Oxoniensis non faceret, scio. Etenim antiqui-*

tas

tas inde incipere debet, vnde rei est initium. Initium autem scholæ Oxoniensis tum erat, cum primum Oxonium Græci venerant, & Criclade esse desierunt: sic vt finis vnius, initium esset alterius. At id initium cum ab Aluredo inceperat, (sic enim positū iam est argumenti caussa, quòd alium authorem nullum habeas) quomodo potest Oxoniensis schola Aluredo esse antiquior? Neque enim Oxoniense Gymnasium ideo antiquius est, q̃ Græci, qui longè ante Cricladi erant, iam Oxonium sunt translati. Nam ea, species gentis & scholæ Cricladensis continuatio & antiquitas est, non Oxoniensis Gymnasij. Quamdiu enim Cricladi morā fecerant, tam diu antiquitas Cricladensis producebatur. Vbi autem Oxonij esse cæperunt, non amplius Cricladensis est antiquitas, sed Oxoniensis scholæ initium existimandum est. Vt non addam Lelandum scribere fabulam esse, Cricladam Græcanicis scholis fuisse insignem, vt alio loco diximus. Quod eo probabilius est, quia à Cantabrigiensibus, non à Græcis

sumpsit

Cantabrig. Academ. Cricladensi antiquior.

sumpſit initium, vt iam ante ex Diuiſionis oſtendimus. Quo fit etiam vt Cantabrigiensis Academia etiam Cricladensi multo ſit antiquior. Quod autem ſequuntur de reparatis per Aluredum ſcholis, vt non nemo ait, ſuum id eſt Oxoniensis figmentum. Ob quam cauſſam fraudulenter addidit, vt non nemo ait: non alios, ſed ſe intelligens. Quæ verba etſi Latinè ad plures referri poſſunt, Anglicè tamen, ſuy ſumme, ad ſingularem accommodari ſolent: ea eſt hominis fraus inſignis. Præterea quemadmodum in eiſdem hiſtoriis vulgaribus Oxonienſis videtur indicare ex iſtis verbis, eo ſoli vbi iam Oxonium eſt, philoſophos inſtituiſſe ſcholas ſuas antequam vrbs conderetur, in ſolo ſeu terra vbi nunc vrbs Oxonium eſt. Hiſtoriola tamen Oxonienſis vrbem ibi fuiſſe prius docet Belloſiti nomine. Tranſeo quoque quæ in eandem hiſtoriam, & eam alienam ſuo ſenſu infarciat; philoſophos Græcos amœnitate loci allectos, eo ſoli, id eſt eo terræ loci commigraſſe, quo nunc eſt Oxonium: docens præter authoritatem

ritatem historiolæ suæ, Cricladenses philosophos Oxoniensis scholæ fuisse authores, cum ad locum studijs Saxonas Bellositum elegisse historiola dicat: vt alio loco explicuimus. Atque hæc quidem paucis. Cætera quia non in historiola, sed in fenestris (vt ait) vitreis Sariſburiæ, atq; vt audio, domi suæ, quæ vetera fortasse collegij monumẽta sunt, vt nõ magnopere vrgentia antiquitatem maiorem Oxoniensis quam Cãtabrigiensis Academiæ, mitto. Nam plura de historiolæ vanitate, & Oxoniensis in hanc commenti supra diximus, vt non sit opus hic plura commentari. Hoc tantum addam, Oxoniensem in assertione suæ offẽsionis Gulielmi Normanni duas caussas afferre: aut quòd scholastici ciuium partes secuti sunt resistẽdo, aut quòd Anglicam linguam (quã Normãnus extinctam voluit) conseruarunt. Sed hæ an aliquæ caussæ esse possint, videat Oxoniensis. Cum enim per ea tẽpora scholæ erant Oxoniæ nullæ, quomodo ciuium partes sequi potuerũt scholastici? quomodo studuerunt linguam Anglicam conser-

Caussæ offensionis Gul. Normanni.

conseruare? Nam in Bostono Burensi lego Heraldum primũ, qui regnare cepit anno Salutis 1013. subuertisse scholas vestras, nec ante restitutas esse, quàm regnaret Stephanus, idq; à doctiss. quodam viro Roberto Pullino, qui floruit circa annũ Domini 1146. & omnibus modis egit aduocando, pellicendo, prælegendo, scribendo, persuadendo, docẽdo, exponendo, & omnia humanitatis officia scientijs promouendis præstando, vt scholastici ex omnibus regni partibus Oxonium confluant. Itaque iniuriam facere videtur Normanno Oxoniensis qui sublati scholasticis nummi, & imminuti census crimen, easq; offensionis causas obiecit: cum hæc in eum verius ciues quam scholastici dicerent. Etenim de vrbis muro obuertens quidam eas corporis partes denudatas, quæ verecundè non possunt nominari, oppedebat Normannis in obsidione positis. Qua de caussa indignatus rex, mox irrupit & castigauit. Hinc ciuibus offensio: de qua qui plura velit, Matth. Parisij hist. maiorem anno Domini 1067. legat,

legat. Nam plura non sinit verecundia mea explicare. Itaq; hactenus ostendimus Oxoniensis scholæ authorem Aluredum non fuisse, quod ipse quoq; asseris in principio comment. tuorum: nec Academiã anno regni Aluredi primo aut secundo, aut vniuersitatis aulã positã fuisse. Atq; hoc eo magis, quòd in hac re sibi non constet Oxoniensis. Etenim alicubi dicit Aluredum cõstruxisse vniuersitatis Aulam: alicubi ait, sunt qui putent ex tribus collegijs, vniuersitatis aulam Theologorum fuisse cœnobium: & rursum alio loco, ferunt illum tria apud nos collegia cõstruxisse. Quasi hoc ex vulgo susceperit, non ex vetustis collegij monumentis, vt ille ait, acceperit: immemor quid prius affirmauerit. Quod si verum sit, non est cur succenseat: si nõ sit, est vt verbis vtatur certioribus, quibus animi sui sensum constantius explicet. Sed in hac caussæ vanitate nihil miror Oxoniensem non constare sibi, cum & collegæ, antecessores sui, & collegiorum Oxoniensium chronographici etiam, de fundatione magnæ il- Inconstantia.

lius Aulæ ab eo sanè dissentiant. Nam Leonardus Hucheson, nuper Aulæ eius magister, Hugo Hucheson, Georgius Ellyson, Edmundus Thomson, & Christoferus Richardson, cum aliquot aliis eius Aulæ socijs, in scriptis significarunt delegatis regijs, magnam Aulam vniuersitatis Oxoniensis fuisse ex fundatione regis Ælredi anno Domini octingentesimo, vt patet ex antiquo scripto. Hæc eorũ verba sunt. Quod si demus, fundatum fuisse annis .xlix. antequã natus Aluredus est, concedendum est. Nã Asserus de gestis Alphredi, natũ eũ scribit ãno Dñi 849. In Epitome quoq; Chronographica Collegiorũ oxoniẽs. (sic enim vocat qui scripsit) ab Oxoniẽsi quodã cõscripta tũ, cum præsens regina fuit, annis ab hinc duobus, omni populo diuulgatũ est, Collegiũ vniuersitatis cæpisse sub Aluredo per dominum Guliel. Archidiaconum Dunelm. anno 873. Verum is, vt pace eius dixerim, rei historicæ omnino rudis et ignarus est. Nã si vel vnum proferre mihi poterit archidiaconum Gulielmi nomine ante Edwardum

De nominibus proprijs Anglorum ante S. Edwardum.

dum

dum ſanctũ, vnum epiſcopum aut abbatem, vnum Ducem aut equitem, concedã illi facile quod affirmat. Nam diligentiſſimè obſeruaui & in ſerie Epiſcoporum omnium ſeu catalogis, in teſtimonijs epiſcoporum, abbatum, ducum atq; militum in chartis regum antiquorum, nullum nominatum Gulielmum, Robertum, Thomã aut Ioannem, ante Edwardum ſanctum. Nã iſta nomina merè ſunt apud nos Normannica: cætera autẽ ante Edwardum ſanctũ, Britãnica aut Saxonica. Ad hæc ex eis epiſcopis nemo fuit qui cum alio cõueniebat nomine, ante Hubertum Cantuarienſem archiepiſcopum, qui conſecratus eſt anno Domi. 1193. ab Auguſt. xliij. archiep. id quod Radulphus de Diceto diligenter cum admiratione aduertit in lib. Chronicorum. Primum Robertum, in ſedem Archiepiſcopalem Cantuarienſis eccleſiæ: primum Gulielmum & Robertum, in Epiſcopatum Londinenſem, introduxit Edwardus Sanctus. In cuius tempore, & non ante Lanfrancum Cantuarienſem archiepiſcopũ, qui conſecratus

est anno Salut. 1070. nullus fuit Cantuar. eccleſiæ Archidiaconus. Exercuit enim officium eius Epiſcopus S. Martini Cantuariæ, vt ex codice Archidiaconali eccleſiæ Cantuarienſis intellexi. At ſi in ſede archiepiſcopali Cantuar. & primatu totius Angliæ archidiaconus erat nullus ante Lanfrancum, in Dunelmenſi, epiſcopatu ſuffraganeo, fuiſſe archidiaconũ credendũ eſt? † Sed longus eſſem ſi omnes de Oxonienſis Academiæ & magnæ Aulæ vniuerſitatis fundatione vanitates perſequerer. Bene multa enim ſunt, et ante ꝑſecutus ſum abundè: vt non ſit opus hic iã repetere. Sequuntur priuilegia quæ ab Aluredo data ſcribit Ranulph. & multiplicate cæteris omnibus Gymnaſijs Latinis præſtare, hiſtoriola affirmat. In qua re exponenda, ſpero me nec veſtra infirmaturum, nec cuiquam anſam præbiturũ veſtra infringendi aut labefactandi priuilegia, conſuetudines, atq; leges quibus iam fruimini. Non enim de præſentibus, ſed præteritis ſum dicturus, quæ aut ab Aluredo conceſſa dicuntur, aut conditoris veſtræ

† Hic inſerendum poſt alteram ſequentis paginã.

De priuilegijs Oxonienſibus.

Aulæ fundatore aliter quàm nunc sentires atq; scriberes. Eam non solum reditibus necessarijs in cõmodum suorum scholasticorum victum dotauit, verum etiam libris vtilissimis studio (quos maxima cura vndiq; conquisiuerat) in cõmunem vsum totius vniuersitatis, atq; omnium omnis generis in ea studiosorũ, siue seculares illi siue regulares fuerint, (quos in hoc fauore ad paria duxit, vt eius more loquar) multo magis: sic vt in ea tanquã in communi Bibliotheca conseruentur libri per quinq; scholasticos, quos eius Aulæ magister assignaret: vt ipse in eodem philobiblo meminit. Quæ Aula an vniuersitatis Aula sit, atq; ea de causa vniuersitatis Aula dicta fuerit, ipse cogita. At si verũ sit vniuersitatis Aulam Richardum posuisse, quomodo verum esse poterit Edmundum Abyndonensem Cantuariæ quondam Archiepiscopum, ex ea Aula prodijsse, cum centum ante annos vixit quàm condita ea Aula fuit. Sed eo iure tuo eum vendicabis, quo Ridleium &

Craisfordum (de quibus ante diximus) vendicabas. Erat Richardus ille, si nescis, Buriæ Sancti Edmundi in Suffolcia natus, Dunelmensis ecclesiæ primum Monachus, dein Episcopus: homo infiniti studij in bonos libros: quos qui attulerit, gratior illi extitit, quàm si generosos equos contulisset, vt ipse scribit. Quo nomine atq; studio, libro suo inscriptionem fecit, philobiblon, græco vocabulo: quem absoluit in Manerio suo de Aukelande, vicesimo quarto Ianuarij, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, ætatis suæ quinquagesimo octauo precisè completo, vt eius verbis vtar, & anno pontificatus sui vndecimo. vixit sub Edwardo tertio: vir legationibus multis clarus, Cancellarij Thesaurarijq; regni Edwardi muniis publicis nobilis, & Aulicæ vitæ officijs certè insignis. Sed de hac Richardi Aula, alijsq; Oxoniensis viri commentis, alias forsan, si occasio dabitur, dicam latius.

Nam longus essem &c.

*Hoc omissum negligentia, referendum est in paginæ 340. versum decimum, inter est & Sed. sic vt postq̃ insertũ sit, sed, deleatur, in cuius locũ, Nam, suffecimus.*

*Itaquè cautius tu quidem (mi Oxoniensis) qui non Ælfredi ætate vt Chronographus, sed Henrici tertij: non fundatorem vt ille, sed benefactorem tantum fuisse Gulielmum Archidiaconum Dunelmensem scribis. Sic enim facis, ne recentior quàm constituis, Vniuersitatis Aula videatur. Hocq́ miris agis modis atq́ artificijs more tuo (sed an iustis nescio) forsan vt tenebras nobis offundas, animósque auoces à vero Aulæ vestræ conditore. Etenim cum de Richardo Aungeruille episcopo Dunelmensi sermonem faceres, mutata persona, de Gulielmo Archidiacono Dunelmensi scribis: verbis tamen Richardum innuis. Nam ipsissima Io. Balei (in quo multus esse videris) verba de Richardo Aungeruille, ex libris de script. Britã. cent. 5.*

tit. 69. imitaris, atq; ad Gul. Archidiacon. Dunelmen. detorques. Hunc enim (quē benefactorē vestrū, atque sub Henrico tertio vixisse ais) tu eximiū literarū ac literatorū per ea tempora Mecœnatem scribis. Baleus autem, Richardum illum (qui regnante Edwardo tertio floruit) literarum ac literatorum fautorem ea ætate maximum fuisse dicit, & Mecœnatem quoq; vocat. In qua re non videris mihi ἀντιπελαργεῖν (mi Oxoniensis) neq; dissimulatione tātæ personæ atq; benemeritæ ita esse gratus, vt videri cupis. Fundauit enim Richardus ille Aulam siue Domū Oxoniæ, in perpetuā elemosinā, vt in Philobiblo suo scribit, inter an. Dñi. 1333. quo consecratus est, authore Adamo Muremuthensi in supplemento Florilegi, & annum Salutis. 1344. quo condita charta ordinationis eius fuit: cuius exemplar vnà cum philobiblo diligenter asseruo integra, nulla ex parte vitiata aut rasa, antiquaq; litera scripta. Quorum si ingenuus Lector esse velles, forsan de magnæ Vniuersitatis

Aula

vestræ historiolæ tempore existebant. Nam de his quæ vobis & oppidanis Oxonienſibus ob diſcordias ſuſtulit, & poſtea indulgentia ſua vobis reſtituit per breue ſuum datum Weſtm. xx. Maij. anno reg. ſui. Angliæ. xxix. Franciæ vero. xvj. Edwardus. iij. circa annum Salutis 1355. cum vos oppreſſos et fugatos per oppidanos atq; ruſticos, ſub protectione ſua ad vniuerſitatem veſtram congregauit, quòd erat ea ſicut ficus fatua ſine fructu (vt verbis breuis vtar) nihil dico, ſantum de his ſermonem faciam qui erãt ante annũ Dom. 1284. & regni Edwardi primi duodecimo. Fidem petam ex vetuſtis monumentis, in quibus puto vos facilè conquieturos, quòd in archiuis veſtris ea conſeruari exiſtimem, ſi quæ ratio memoriæ conſeruandæ veſtris olim fuit, fuit autem, vt ex Regiſtro ſeu commentarijs Roberti de Paterna (de quo ante) intelleximus: et eſſe certè debet vel maxime in futurum quàm vnquam diligentius, non ſolum vobis Oxonienſibus, ſed etiã Cantabrigienſibus quoq;. Iam enim

Reſtituta Priuilegia.

Annales ſcribendi vtrique Academiæ.

*vsus docet quantum profuerunt Annales, & diligens historiarum rerumq; gestarum conseruatio & cognitio, quantumq; negligentia obsit.* Epistola ad Episcodum Lincolnienſem pro Oxonienſibus. *Est inter epistolas Ioannis Pecham archiepiscopi olim Cantuariensis (cuius bonam memoriam ideo honoro quòd vos amauit) vna, ad reuerendum patrem Oliuerium Lincolniẽsem episcopum, vestra causſa Northamptonæ scripta anno Domini 1284. octauo calendis Octobris: in qua temperare conatur & emollire rigorem iusticiæ Lincolniensis Episcopi, ne compellat vos coram tribunali suo conuenire super ijs quæ vos ad cognitionem cancellarij vestri ab antiquo* » *pertinere iudicatis: quòd (inquit) contra* » *consuetudines & immunitates vniuersi-* » *tatis prædictæ, prædecessorum vestrorum* » *temporibus approbatas feciſtis &c. Rogat præterea, vt remittat vniuersitati vestræ huiusmodi summonitiones & vocationes,* » *atq; vt dissimulet. Petunt (inquit) quidẽ* » *contra ius commune vt creditur: sed hoc* » *eò liberius & decentius tanti studij emo-* » *lumento, ad præsens dissimulare poteritis, quia*

quia idem nonnullis vniuersitatibus alijs proquiete studentium dicitur esse concessum. Hæc Io. Pecham ad Lincoln. episcopum. Ad vos autem Cancellarium & magistros Oxonienses, hortatus primo per viscera Iesu Christi, ne proni sitis ad dissidium vel dissentionis scandalum, sic consequenter scribit. Quia Episcopus Lincolnensis in motis contra vos questionibus, iuris communis (vt videtur) contra vos tegitur armatura: & vos econtra consuetudines pretenditis, quas iuras se vos dicitis, iuris cõmunis (vt dicitur) regulis repugnantes, cum contra ius commune in eiusdem præiudicium nulli se liceat obligare, quin potius decretum in talibus sit mutandum: Rogamus vos affectu quo possumus ampliori, quatenus (licet vobis in iure vestro parati sumus assistere vt tenemur) humilitate vestra vestrũ studeatis episcopum (virum vtiq; valentissimum) honorare, & ipsius implorare gratiam, qui vobis potest non solum in facto studij vestri, sed & in multis alijs existere fructuosus. Et si vos consuetu-

Inter cæteras Academias Cant. innuit.

Epistola ad Vniuersitatẽ Oxonienſem.

» dini iuri contrariæ inhærentes, nullo vo-
» bis patrocinante ſuperioris priuilegio, or-
» gana ſuſpendatis, dicetur proculdubio, nõ
» ipſi pro iure agenti, ſed vobis iuri refra-
» gantibus eſſe ſtudij periculum imputan-
» dum. Aduertentes igitur quòd ipſe hu-
» militate flectitur, & Paterno vos affec-
» tu proſequitur quantum poteſt ſaluo ec-
» cleſiæ ſuæ iure, recurratis ad eum, vt filij
» patrẽ, iuxta legis imperium honorantes,
» experturi vt ſperamus firmiter, quòd hu-
» milibus dat gratiam, & ſuperbis merito
» aduerſatur. Valete in chriſto & virgine
» glorioſa. Datum apud Thornholm ſexto
» Calend. Februarij anno Domini 1284.
» ordinationis noſtræ ſeptimo. Vides mi Oxonienſis quam numeroſa erant veſtra priuilegia per ea tempora, vt magna ſcilicet occaſio authori veſtræ hiſtoriolæ ſit ſcribendi de priuilegorum tanta multiplicitate, quantam inter omnes vniuerſitates Latinas non extitiſſe aſſeuerat.

Gul. Sherwode

De Gul. Archidiacono Dunelmenſi, quem virtutibus quàm opibus ditiorem ſcribis, & Gul. Sherwode (de quo Baleus centu-

centuria iiij. tit. ix.) hic nihil dicerem, niſi te Poetam hic monſtraſſes, atq; ex vno duos faceres. Etenim Io. Lelandus, antiquitatis ſtudioſus, facit coniecturam, eum eſſe hunc Gulielmum Sherwodum, quem Matth. Pariſius à Dunelmo cognominat, nec archidiaconum tamen vocat. At hunc vt Matth. Pariſius in hiſt. minori ſub anno Salutis 1249. electum Rothomagenſem ſcribit, atq; hominem eminentiſſimè literatum vocat, ita in hiſt. maiori eo anno tradit, abundantem quidem multis cenſibus, ſed amplioribus inhiantem, rectorẽq; nobilis eccleſiæ de Weremue exſtitiſſe. Sed quid anxius iſta perſequor, cum annus non ſufficeret cõmemorandis omnibus, quæ tu in commentarijs non bene dixeris.

Superest ergo vt ab hiſtoriolæ antiquitate deſicias, atq; omnem ſpem antiquitatis Gymnaſij veſtri ad recentiorẽ aliquem authorem q̃ eſt Aluredus referas, niſi indulgentia potius q̃ iure, cõmuni opinione magis quàm veritate ad Aluredum referre libeat. Quod ſi feceris, neceſſariò Definitio controuerſiæ.

Quanto Antiquior Cantabr. Acade. Oxonienſi.

conſequitur Gymnaſium veſtrum tanto Cantabrigienſi eſſe recentius, quanto Aluredum præceſſit rex Gurguntius, annis nimirum 1247. rationem ineundo à Stonei tui, ad cuius authoritatem nos exẽplo tuo alligas, ſupputatione: quod huius controuerſiæ definitio ſit. Quod ſi cuminũ ſecare vellem, & habere rationem. vj. anni Gurgũtij, quo ſcribitur Cãtabrum in mare obuiã fuiſſe illi, & poſt .xij. aut .iiij. annos à ſexto Cantabrũ ædificaſſe (quod ſtatim id feciſſe eum non ſit forſan tibi veriſimile, etſi eodẽ anno conſtitutũ Gymnaſiũ Lanfrã. ſcribat) atq; intermediũ tempus à ſexto aut nono ad annũ regni Aluredi. xxiij. aut primum aut ſummũ ſecundum, vt tu ais, in numerum colligam, tempus ſanè nõ multo minus relinquerẽ. Ad hanc autẽ definitionẽ ſtatuendã dixi primo quæ antiquitatẽ Cãtabrigienſem cõfirment, poſtquã calumnias Oxoniẽſis in Antiquariũ abluerim. Tũ rationes omnes quibus Oxonienſis in Aſſertione ſua antiquitatem Cantabrigienſem oppugnat, deleui, quaſdã obiter et aliud agendo, quaſdã ex profeſſo,

ſed

sed diuerso tamẽ ordine: quod studio à me factũ est, q̃ is volantia sectari videatur. Dein quemadmodũ illustri Academiæ nomine, non Grãmaticalis scholæ appellatione, Cãtabrigiense Gymnasiũ Oxoniense longe anteuertit, & authoritate & argumento demonstrauimus. Postremò, non nisi à recẽtiori aliquo q̃ est Aluredus antiquitatem Oxoniensem necessario auspicatam ostendimus, cõfutatis ijs quæ aduersum ex Oxoniensi historiola Oxoniensis affert. Cõstituimus tamen subinde Aluredũ fundatorem, nõ iure sed p̃ indulgentiã, q̃ communis opinio hodie sic inualuit. Etenim si quãdo Aluredũ facio Oxoniensis scholæ authorẽ, nõ hoc cõfirmandi, sed argumentãdi causa facio, cũ in hac re varius sit Oxoniẽsis. Quãobrem mihi quoq; necessũ fuit variare, negãdo quod ille affirmauerit, et affirmando quod negauerit p̃ natura rei. In qua Oxoniẽsis incõstantia, adducor facile vt credam, eũ alio consilio nõ scripsisse libellum suũ, q̃ qui stultitiam laudant et quartanã, muscã et caluiciem, parasitã et iniustitiã, Thersitẽ et Busiridẽ,

nucem

nucem ludunt atque culicem, è què schola cantilenam: videlicet ad ingenij laudem & ostentationem, non ad rei vsum atque veritatem. Quamobrem id illi obuenit quod quibusdam militiæ rudioribus solet euenire. Hi enim adhuc rudes, & cum recenter veniunt gloriæ cupidi vt vires ostentent & audaciam, dum incautius rem gerunt, occumbunt frequentius, quod Gul. Tyrensis in historia de rebus gestis in terra sanctæ lib. xvij. in obsidione Ascaloniæ incidisse scribit. Sed vt eodẽ reuertar: hæc quæ summatim dixi omnia dum fecerim, spero me & cum decoro, & cum æquitate arbitri & amici id feciſſe, idq; δίκης ὀφθαλμῷ, vt Suidas solebat dicere. Quod ex eo facilè intelliges, quòd auctos & postrema manu longaq; meditatione absolutos commentarios, quos postremo Oxoniensis ædidit, examinarim. Auctos autẽ & limatos volui examinare, & hominẽ impraui ſum & impremeditatum adoriri nolui, quodq; quadam retractauerit Oxoniensis, quodq; nolim esse acer hostis, sed moderatus arbiter, ne de

Aequitas.

ne de iniquitate arbitrij conqueratur. Nam primum & vitiosum eius exemplar Reginæ destinatum, non nisi damno eius, & oratoris commodo percensendum fuit, quod refugi, vt rationis æquitate, non affectionis violentia res tractetur, partitionem, vt aiunt, non præfocationem cupiens. De qua re vt melius existimes, eius commentarios nostris adiunximus, quò sententiarum collatione, de re facilius iudices. Idq; fide integra, et vt accepimus, sine vlla additione aut subtractione. Id quod spero Oxoniẽsem esse obseruaturũ & cõfessurũ quoq;, ea vsum credo arte in cõmẽtarijs suis, quibus prouidæ matronæ in lagenis. Etenim Marc. Cicero ad Tironem scribens, refert se meminisse, matrem suam lagenas etiam inanes obsignasse, ne dicerentur aliquæ inanes fuisse quæ furtim essent exsiccatæ. Eo etiam vsi sumus dicendi genere, vt neq; amplificare exornando, aut extenuare abiciendo quicquã voluimus, sed vniuersa (quo æquius sit arbitrium) suæ naturæ relinquere, siue sentẽtia nostra approbauimus, siue reppulimus

limus. Rationes autem nudas atq; simplices, in sententia nostra robur & confirmationem apposuisse propter dubium lectorem, omnino fuit necessarium. Leuitatem quoque argumenti libri, rerum grauitate compensauimus, quò sit quo delectetur grauior lector, intermistis iis quæ nec à re sunt aliena, & propter raritatem atque vtilitatem cognitu iucundissima. Commentarios Oxonienses dico, priores illos, sed cũ castigationibus posterioribus associatos, sic vt sub vnũ aspectum vtroq; habeas. Nostris addidimus & indicem, et notas marginales, quò omnia sint expedita magis atq; obuia, nihil metuentes causæ. Quã calumnijs forsan exagitare potes, ledere nõ potes: appendices turbare, at antiquitatẽ non mouere. Cui ergo cõtendendi studiũ est, is antiquitatẽ Cantabrigiensem vt scopũ sibi proponat, eam petat si possit: accidẽtia mittat. In qua si vicerit, palmã feret, omnemq; punctum. Sin accidentia persequatur relicta re & antiquitate, risus materiam cõmouebit. Sed satis esse forsitan arbitraberis ad prima cõtendentem

dentem, in ſecundis conſiſtere, atque ita honeſta conatus ſpecie vadimonium deſerere. Quod certè vt prudentius erit q̃ in errore perſiſtere, ita infirma contradicendi ratio eſt, & ridicula. Quod autem multas rationes pro antiquitate Cantabrigienſis Academiæ, paucas autem pro Oxonienſi propoſueram, id feci ſane non vt aſſertor aut aduocatus, ſed vt amicus atq; arbiter, ex fecũditate rei: idem Oxonienſi facturus, ſi res materiem pari modo ſuggeſſiſſet. In qua re expendendum tibi cenſeo non qui ſum qui ſcribo, ſed quid ſit quod dico: verba & ſententias, non perſonam reſpice. Sequuti hic ſumus æquiſſimorum iudicum exemplum. Etenim hi poſtquàm cauſſa controuerſa diu inter iuriſperitos, vt ſolet, atque exagitata multum, tandem pro tribunali vt definiatur aut amplietur coram iudice conſtituta fuerit, graues ſapientéſque iudices ſuas primo dicunt publicè rationes, quibus in hanc aut illam ſententiam impellantur: aliquando etiam cum orationis contentione, aliquan-

aliquando cum personarum reprehensione, cum videant eos aut stateram transiliisse, aut dolo egisse, atq; tum demum in hanc aut illam partem sententiam ferunt. Quod tamen præter decorum Iudicum, aut causæ æquitatem factum, non est existimandum, cum syncere consulant, moneant amicè, & obiurgent amanter. Etenim vt prudentis æquiq; iudicis non est iusticiam præterire, ita eiusdem non est in omni causa πίθων καλός cum pueris dicere. Atque istud quidem quod ad arbitrium. Reliquum ad beneuolentiam

Concordia. spectat & concordiam: quod duobus cõplectemur membris. Primo ne orator aut Antiquarius actione calumniæ grauent Oxoniensem (quod iure alioqui possunt) legémue intendant Rhemmiam (lex ea talionis erat) quæ dictat vt qui crimen intenderit quod probare nequeat, pœnam ferat quam laturus erat reus si conuinceretur. Quærimus enim concordiã, atq; vt vterq; concedat alteri, neq; longius cõtentionis filum ducat, magnopere studemus. Si quid offensæ est, imis ceris eradatur,

olleq;

ullaq; vestigiũ in cinere turbetur, etiamsi κὐδὲ δικὴν ὀφείλει, conuiciyq; pœnam debeat. Secundo, hoc consulo, vt historiolam ex procuratorum tuorum libro prognatam supprimas, tũ quòd laborat fides, tũ ne gymnasiorum omnium inuidiam in vos conflet is: néue dum Geranam simulet is, Iunonem, Mineruam, & Dianam infensas habeatis, qui cæteris totius orbis Latinis omnibus præter modestiam, & antiquitate et cæteris virtutibus vos præfertis, miraq; de lente traditis, quasi Iouis germen, aut Mundi Cymbalum essetis, cum tamen vestro Gymnasio multo est antiquior, literarumq; fama atq; gloria celebrior & Mediolanẽsis, et Bononiensis, & Romana Academia: Parisiensis quoq; & Patauina, Ticinensis, Lugdunensis atq; Tholosana. Sapientum præceptum est, intra suam se quemq; pelliculam continere, nec pennas nido maiores extendere. Brasidas quidem vir bonus erat, non nego, sed Lacedemon multos habuit præstantiores. Quæ nõ sic dico tamẽ, vt nõ sentiam florentiss. esse vestram Academiam,

demiam. Hanc antiquitatem siue indulgentia, siue iure vestro absoluto vobis concessam si facilis admiseris, si optimis consiliorum nostrorum monitis parere volueris, tacebunt credo quos alioqui loquuturos pertimesco. Sin minus, vereor vt multo adhuc conuellant magis antiquitatem vestram quàm tu vis aut ego cupiam illi, quibus abundat otium & me insecuturi sunt. Nam mihi nec conchas legere cum Oxoniensi vacat, & repugnanti ac conuicianti ne Dionis gry quidem respondere constitutum est. Aliquid tamen Medis ad hanc defensionem reliqui,

Non etenim vni commisimus omnia puppi, qui & ipsi

auide expectant, tanquã mellis, vt aiunt, medullã, occasionẽ prosequẽdi si quid deficiat, ne tu sis nescius. moneo nõ minitor. Quos si prouocaueris, Lydos in campum prouocabis: ita tamen hanc rem tractaturos spero, vt rationem honoris vestræ Academiæ quod, cupio, sunt habituri. Neque enim contentiones suscipient.

Etenim

Etenim res est hæc literaria, res pacis & quietis est, & belli haudquaquam lachrymosi, nec nisi prouocati respõdebunt, si pacis spes iam non affulserit, cuius sanè & nomen dulce est, & res ipsa salutaris. Certe quoniam Cantabrigia & Oxoniũ duæ sunt nobilissimæ Academiæ tũ structura magnifica, tum literarum & virtutũ præcellentia & dignitate, cũq; duo totius orbis amplissima disciplinarum omnium theatra, piaculum planè esset, vt leuiculis istis de rebus grauis inter eas contentio aut oriatur aut producatur. Valeant qui inter eas volunt dissidium quauis de re: multo verò magis de antiquitate, re propemodum inani, nisi fidei historicæ caussa, atq; ordinis in rep. naturalis, quæ maximè faciunt ad decorum. Argumentum enim leue est, nec tractatione ferè dignũ, nisi acerbitas Oxoniensis lacessisset, nisi veritas & simplicitas rerũ omniũ mihi semper placuisset, nisi linguæ eius petulãtia eò incitasset. Quod tamen sic tractauimus, vt omnino laboris nostri non pœniteat, cum sit quod grauibus etiã

viris placere poterit. Alioqui certe pa-
rũ intereſſet vtra ſit ãtiquior, modo vtra
virtute & doctrina floreat, de quibus
quantum libet certent velim, non autem
nugis & conuicijs. Expetendum vt con-
cordes inter ſe viuant in vnitate vitæ,
morum grauitate, et ſtudiorũ gratia, nec,
vt imperiti, inter ſe diſſideãt loci aut ætā-
tis ratione, quod in votis eſt vel ma-
ximè, & futurum ſpero, ſublata iam
controuerſia, & definita queſtione. Cum
enim in mutuũ corpus Cantabrigienſes et
Oxonienſes ſæpe ſolent tranſmigrare, &
omnes literis ſtare & florere, fratrum loco
eſſe debent omnes inter ſe amore mutuo,
mutuiſq; officijs et officioſis verbis opẽfer
re, quẽadmodũ vobis aliquando tulerunt
fidiſſimi veſtri atq; dulces ſocij & amici
Cantabrigienſes in anguſtijs veſtris, &,
ſi gratiam amoremq; mutuum intellexe-
rint; laturi ſunt in conſeruationem ve-
ſtram atq; perpetuitatem. Cuius ſi non
memineritis, at ſaltem meminiſſe debetis,
& ego paucis memoriam veſtrã refrica-
bo. Non excidit veſtris animis (ſcio) diu
fuiſſe

Gratia Canta-
brigienſium in
Oxonienſes.

fuisse in discrimine vestrã Academiam, & lõga persuasione atq; metu partim vaticinij, quod fatidico quodam carmine Robertus Talbotus, Antiquarius Oxonienſis, libro ſuo peramplo de verſibus antiquis, cui inſcriptionem fecit ſatis familiarem, aurum ex ſtercore, titulo de ænigmaticis & propheticis, ſic expreſſit:

Hoc magnum ſtudium quod nunc eſt ad vada boum,
Tempore venturo celebrabitur ad vada Saxi:

partim rei geſtæ quoq; exemplo, quòd quidam ex Oxoniẽſibus Oxonium deſerentes, (vt paulo ante ex monumentis veſtris diximus) multos ſecum Oxonienſis ſcholæ Stamfordiã abduxere, quibus eo loci prælegerunt. Hinc expectatum continuò eſt, vt ex diſſoluta veſtra Academia, Stamfordienſis reſurgeret. Quod ne fiat, vos iureiurando cautius proſpexiſtis in gradibus conferendis, ne quis Stamfordiæ doceat. Simon Iſlep quoq; archiepiſcopus Cantuarienſis idem metuẽs, in ſtatutis Aulæ ſuæ, quam conſtituit Oxoniæ, anno dñi 1361.

circa annũ consecrationis suæ xij. (Aulã Cantuarien-
Statutum Aulæ Cantuarien-sis. sem vocabant, cum adhuc ex se steterat, iuncta nunc collegio Christi)
» cauit, vt si contingat locum vniuersitatis
» de Oxon trãsmutari, liceat scholarib⁹ suis
» vbilibet alibi ex consensu archiepiscopi
» gaudere, sub forma qua prius, cũctis bonis
» quæ domui cõtigerit pertinere. Hæc verba
» sunt statuti postremi. Cui malo cum ipsi soli mederi nequiuissetis nisi per gratiã Cãtabrigiensium, in salutem vestram conspirarunt illi, & in largiendis gradibus, à multis sæculis publico totius vniuersitatis consensu & decreto sanxitũ quoq; est, ne quis extra Cantabrigiam alibi quàm Oxoniæ aut gradum suscipiat, aut publicè legat. Verba vniuersitatis statuti addito
Statutum vniuers. Cantabr. titulo, hæc sunt. Iuramentum magistrorum in inceptionibus & solẽnibus resumptionibus.
» Iurent etiam quòd extra istã
» vniuersitatem nusquam alibi in Anglia
» præterquam Oxoniæ in aliqua facultate
» incipiet, aut lectiones suas solenniter resu-
» mat, nec consentiet, quòd aliquis alibi in
» Anglia incipiens, hic pro magistro in illa

facul-

facultate habeatur. Videtis Oxoniẽſes gratiã Cantabrigienſium: videtis ſalutis veſtræ ſolicitam curã, & incrementi atq; perpetuitatis veſtræ ingens deſideriũ. Redamate igitur, & referte gratiam. Non enim vobis tam veſtra ſalus chara eſſe debet, quàm pietas in referenda gratia iucunda. Quod ſi gratiam referre tantam non poteſtis quantam debetis, habenda tamen eſt quantam maximam animi veſtri capere poſſunt. In vniuerſum, diſcordias fugite. Nulla enim domus tam ſtabilis, nulla ciuitas tam firma eſt, quæ non odijs & diſſidijs poſſit euerti. Mementote eius quod à Saluſtio ſapiẽter dictum eſt, concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Quæ ſi in re familiari, re leuicula & contemptibili, ne ruina inſequatur, vitanda eſt vel maximè, quid in re literaria, rerum omnium precioſiſſima, virtutum atq; officiorum omnium firmiſſimo fundamento & ſuſtentaculo faciendum eſt, ne ignorantia per diſcordias vos confodiat ac ſubuertat. Proinde hoc vobis omnibus

vtriusq; Academiæ exopto quod mihi ipsi, vt velitis sapere & futura prospicere. Quod istis nostris diebus expetendum est cum primis, in quibus ordinis & authoritatis contemptus, morum leuitas, licentia rerum omnium, vestium luxus non ferendus est. Sed harum rerum culpa meticulosorum aut abblandientium custodum potius est, quàm negligentium aut palantum ouium, (de quibus libro primo) qui temeritatem non coercent, insolentiam non retundunt, vestium luxum non impediunt, mores non corrigunt, atq; ad bonam frugem non perducunt.

LONDINENSIS DE antiquitate Cantabrigiensis Academiæ libri secundi & vltimi,

FINIS.

Quæ inciderunt inter excudendum errata, indicem sequuntur.

# CATALOGVS SCRIPTO-rum, quibus vsus est duobus hisce libris Londinensis.

Historici nostri antiqui & scripti.
Gildas sapiens.
Nennij Eluodugi discipuli Eulogium.
Beda.
Asserus.
Osbernus Dorobernẽsis.
Florẽtius Wigorniẽsis.
Edmerus Dorobernẽsis.
Io. Bramis.
Elwardus.
Alfredus Beuerlacẽsis.
Gul. Malmesb. de Agillius. (Regibus. Põtificib⁹ Ant. Glast. eccleſiæ.)
Hen. Huntudonensis.
Gocelinus.
Leges Saxonicæ Anglorum & Danorum.
Gul. Rieuallensis.
Galfridus Monemutensis.
Simeon Dunelmensis.
Ailredus Rieuallensis.
Ioannes Sarisburiensis.
Richardus Diuisiensis.
Geruasius Dorobernensis.
Geruasius Tilberiensis.
Gul. Nouiburgẽsis, quẽ Neuburgensem vocant.
Rogerus Houeden.
Syluestri Giraldi Canbrensis varia opera.
Syluester Girardus Cornubiensis.
Lanfrancus.
Ponticus Virumnius.

Gual-

Gualterus Couẽtrenſis.
Gualterus Hemyngforde Gisburnenſis.
Io. Boſtonus Burienſis.
Radulphus Niger.
Radulphus de Diceto.
Matthæi Pariſij, ſeu Pariſiẽſis chron. maius & minus.
Io. Pariſienſis.
Hiſtoria Roffenſis.
Thobias Roffenſis.
Dolenſis.
Radulphus Marrham.
Matthæus Weſtmonaſterienſis, Florilegus, ſeu flores Hiſtoriarũ.
Thomas Rudborne.
Fabius Queſtor.
Ninianus.
Ælfricus Abbas.
Ioannes Capgrauius.
Vita Neoti Antiqua.
Ranulphus Ceſtrenſis.
Ioannes Ufforde.
Hiſtoria Iorenallenſis.
Hiſtoria Glaſtoniẽſis.
Epitome Chronicon S. Edmundi.
Benedictus Claudiocestrenſis.
Chronicon Landauenſis eccleſiæ.
De vitis ſanctorum Wallenſium.
De actis Alexandri, anonymos.
Hiſtoria Buriẽſis, quã regiam vocant.
Hiſtoriæ S. Albanij.
Sulgenus ſeu Sulienus.
Hiſtoria Brutus.
Abſtracta Bruti.
Rogerus Boulus.
Robertus ſine cognomento.
Thomas Graius.
Henricus Marleburgenſis.
Annales Wigornienſes.

Anna-

Annales Burtonẽſes.
Aluredi opera quædã.
Ingulphus Croilãdẽſis.
Ioffridus Croilãdenſis.
Annales Weſtm. quos Io. Fiberius ſcripſit.
Gul. archiepiſcopus Tyrenſis, Malrici regis Cancellarius, vt ſcribitur in principio eius hiſtoriæ.
Adam Muremuthenſis, aliàs Mirimuthẽſis, canonicus Lõdinenſis.
Nicolaus Treuettus.
Vincentij Beluacenſis ſpeculum hiſtoriale.
Thomas Sprottæus ſeu Spottæus.
Gul. Thornæus.
Hiſtoria Waldei per Io. Bramin.
Freculfi Chronicon.
Eulogium hiſtoriarũ.
Genealogiæ principum variæ.
Hiſtoriola Cantabrigienſis.
Hubaldus poeta ſcriptus.
Thomas Bradwardinus.
Vita Antiqua Bedæ incerto authore.
Hiſtoria Reginalis.
Tho. Stobeus ſeu Stubbeus
Hiſtoriæ Elienſes. ij.
Thomas Wiccius.
Author Hiſt. Meritonẽſis, quã Mertonẽſem corruptè dicunt.
Hiſtoriæ Cãtuariẽſes. ij.
Nigellus Anglus.
Chronicon Eboracẽſe.
Hiſtoriæ Saxonicæ plures.
Fragmenta quædam hiſtorica.

Proſe-

Prosecutor Historiæ Rog. Houedeni, qui vixit anno. 12. Edw. filij Henri. 4. vt ipse ait an. 1154. libri sui.
Felix.
Concordantiæ Chronicantium.
Registrum Oxoniense per Robertũ de Paterna.
Archiua turris Londinensis.
Richardus Canonicus.
Tho. de Walsingham.

Externi antiqui atque scripti.

Turpinus Remensis.
Fulcherus Carnotẽsis.
Gul. Tyrensis.
Orosius Hispanus, quẽ Alurèdus vertit.
Nicasius Cadnæus.
Petrus Blesensis.

Impressi.

Appianus Alexandrinus.
Titus Liuius Patauinus.
Titus Liuius Ferrariensis.
Antonini Augusti itinerariũ, in quod vir magnæ diligentiæ, et præstabilis nostri tẽporis Antiquarꝰ Roberꝰ Talbotus scripsit commentarios, satis vertè luculentos atq; elaboratos.
Volaterranus.
Berosus.
Annius Viterbensis.
Sabellicus.
Io. Boccatius.
Eusebius.
Dion Cassius.
Nicephorus Callistus.
Irenæus.
Diodorus Siculus.

Commen-

Commentaria Cæsaris.
Martianus.
Stephan⁹ περὶ πολεῶν.
Solinus.
Strabo.
Pomponius Mela.
Iustinus.
Florus.
Plinius.
Salustius.
Ælianus.
Saxo Grammaticus
Christianus Masseus.
Iacobus Philippus Bergomensis.
Antoninus. archiepiscopus Florentinus.
Prosper Reginensis.
Sigebertus Gemblacensis.
Reginon.
Onuphrius.
Io. Auentinus.
Chronica chronicorũ.
Albertus Crantzius.
Ioannes Zonaras.
Io. Nauclerus.
Abbas Vspergensis.
Panthaleon.
Bibliander.
Laertius.
Martinus Polonus.
Paulus Constantinus.
Gaguinus.
Paulus Æmilius
Ioannes Tilius.
Tritemius.
Historia Hollandæ.
Wernerus Roleuinke.
Marianus Scotus, Bedæ cõsanguineus, vt in Flor. Historiarum anno 1082.
Hector Boethus.
Ioannes Maior.
Nozerenus.
Gul. Niger.
Sebast. Munsterus.
Iustus.
Carion.

Midden-

Middendorpius.
Guicciardinus.
Historia S. Albani quæ appendix est ad Treuisam, Caxtoni nomine.
Io. Monteuille.
Ioannes Rastelli chronicon.
Lydgatus.
Fabianus.
Ioannes Hardyngus.
Richardus Crocus.
Polydorus.
Georg. Lilius.
Talbotus.
Baleus.
Lelandus, & aliquot alij huius ætatis.
Ioannes Andreas.
Cõstitutionum prouincialium authores.
Ludouicus viues.
Erasm. Roterodamus.
Tho. Morus.
Demosthenes.
Cicero.
Quintilianus.
Seuerinus Boetius.
Seneca.
Pausanias.
Athenæus.
Lucianus.
Sibylla Frithrea.
Homerus.
Aristophanes.
Virgilius.
Claudianus.
Martialis.
Ouidius.
Horatius.
Iuuenalis.
Terentius.
Mimus Publianus.
Phurnutus.

Catalogi finis.

# INDEX RERVM ET VERBO-rum quæ in duobus libris de antiquit. Cantabrig. Academiæ continentur.

*Prior numerus paginarum est, secundus versuum.*


ACademiæ, virtutum matres. 3. 14.
Academiæ vtriusque numerus. 26. 11
Academiæ vtriusque literæ. 27. 23.
Academiæ epistola ad illustriss. philippum Hispaniæ Regem 32. 21.
Academiæ per incrementa grandes 184. 24.
Achilles 165. 7.
Agamennon 165. 5
Aestel. 287. 1.
Aethelingia, Aluredi latibulum. 318.
Albion primus Brit. astronomus 24. 1.
Alpha. 263. 8.
Alexādri respōsum 121. 7.
humanitas 127. 24.
Alcuinus Bedæ discipulus. 134. 3.
Alcuinus cognometo Diaconus, seu Leuita, 139. 5.
docuit Carolū 139. 12.
Alienæ scholæ Britan. literis imbutæ, 204. 17.
Aluredus an secundò ab Adriano R. P. Romæ honestatus sit anno regni sui primo. 235. 19.
Aluredus nō restituit scholas Oxonienses. 280. 9.
Aluredi epistola. 286. 10
Aluredus quo modo Oxoniensis scholæ author habitus est. 291. 4.
Aluredo omnes ascribunt Oxoniensis scholæ institutionem. 279. 9.
Aluredus docuit pueros. 123. 6
Aluredi temporis imperitia.

xia. 214. 15. & 217. 17. & 284. 13. preceptores, 223. 23. nomina. 229. 1
Aluredi tribulatiões & miseriæ. 317. & 116. 17.
Aluredus spoliatus 319.
Annales scribendi Cãtabrigiensibus & Oxoniensibus. 341. 20.
Angrarij pro Angli. 232. 20
Anglię primus monarcha. 32. 5.
Angliæ rex Dominus Scotiæ. 241. 17. & rex Hiberniæ à multis annis. 242. 15.
Angli Gallisantes. 278. 10.
Angli prima natio Parisiẽsis studij 137. 12.
Anaxagoras potuit esse Cãtabrigię. 245. 1.
Annus vnde incipiendus chronicis. 165. 21.
Antiquarij epistola 14. 17.
Antiquitas Cantabrigiensis indubitata ante hanc ætatem. 39. 6.
Antiquitatis Cantabrigiensis cõfirmatio argumentis 27. ordine cõsequentibus. 45. 11.
Antiquiorem esse Cãtabrigiam, iniuriosum non est Oxonio 46. 17.
Antiquitati credendum. 152. 20.
Antiquitas Cantabrigiensis credibilis. 157. 16.
Antiquis non contendendũ. 161. 12.
Antiquitas nigri codicis. 38. 1.
Arbitrij æquitas. 348. 15.
Argumentum senibus inceptum. 10. 21.
Aristotelis fons. 264. 8.
Aristides. 43. 18.
Archidiaconus Cantuariæ nullus ante Lanfrancum. 339. 23.
Argiuus 33. 23.
Arthurus. 68. 22. erat. 70. 7
Arthuri authoritas. 7. 7.
Arthuri diploma. 68. 24.
De Arthuro historia, non est vana. 72. 3.
Asser seu Aserus 296. 24. eius successor 297. hemo doctus

doctus 297.20.
Athenienſis Academiæ ſitus 199. 13.
Attilburgum. 142. 24. & 149. 6.
Aulæ vniuerſitatis ædificatio certa non eſt. 337. 9.
Aula Pẽbrochiana. 150. 23.

B.

BArdi. 23. 13.
Balliolenſe Collegium. 150. 23.
Bangorenſia. 237. 14.
Bannochorenſis ſtudij initium. 192. 6.
Bannochorenſis ſtudij ſitus 199. 5.
Baliol ſuffectus rex Scotiæ. 240. 22.
Beta. 263. 9.
Beda inſtitutus à diſcipulis Theodori. 188. 1.
Beda dicitur ſtudium poſuiſſe Cantabrigiæ. 133. 2.
Beda fuit Cantabrigiæ. 140. 13.
Beda egreſs⁹ inſulã. 136. 8.
Beda egreſſus monaſteriũ. 134. 6.
Bedæ diſcipuli. 134. 23.
Bedę domicilium Girwe, et Cãtabrigiæ. 142. 4. & 13.
Beatriceſworth, & Beadriceſcurte. 741. 20.
Belloſitũ. 259. 5. &. 276. 10.
Bramis. 238.
Bracchara. 118. 18.
Brennus. 115. 3. quot & quãtas vrbes fecit. 118. 9.
Brigantum. 118. 19.
Britanni recuſabãt Anglorum imperium. 96. 22.
Brutus gẽtilis. 98. 24. eius fortuna. 114. 25.
Bullarum confirmatio. 81. 13. bullarum tranſcriptio. 83. 2.
Bulla Eugenij quarti. 84. 6.
Burghceſtre. 145.
Burrhedus. 290. 9.
Buckenham Gul. 37. 21.

C

CAcus Gul. 28. 8.
Cadomenſe ſtudium. 151. 6.
Cadwalladrus. 92. 10. repa-

rator Cantabrigiensis Academiæ. 130. 16.
Cãtabrigia ãte Chrũ 53. 23 anno mũdi. 54. 25. varias clades perpessa. 54. 18. prima vniuersitas. 56. 11. vastata à Danis. 54. 22.
Cãtabrigiæ laudatio. 57. 8. &. 29. 13. author Cantaber. 60. 3.
Cantabrigia secundũ quosdã condita tempore Bladud. 61. 3. antiqua ciuitas 65. 11.
Cãtabrigiẽse castrũ. 63. 15.
Cantabrigia muro cincta. 67. 20.
Cantabrigia Britannorũ & Romanorũ temporibus. 68. 18. priuilegijs munita. 343. 2.
Cãtabrigiæ edocti reges ante Arthurũ. 69. 15. leges, Danorũ leges. 288. 9.
Cantabrigiensis Academia Eleutherij ætate. 78. 7.
Cantabrigia Guthelini regia. 100. 16. mater peritorum. 101. 2.
Cantabrigiensis Academia Oxoniensis antiquior cõmuni opinione. 101. 20.
Cãtabrigia ãte Oxoniũ annis. 1267. 59. 13. &. 346. 4. eiº reges. 100. et 49. 16
Cantabrigiensis antiquitatis testes xxj. 104. 6.
Cãtabrigienses alũni nõ cõditores. 131. 23. &. 173. 2. reparatores, 129. 13.
Cantabrigiensis antiquitas credibilis. 157. 16.
Cantabrigiensis schola fuit Academia ante Oxoniensem. 166. 17.
Cantabrigiensiũ numerus. 26. 12. &. 190. 11. & 191. 17.
Cantabrigiensẽ Academiã reparauit Edwardº senior 186. 23.
Cantabrigia desolata. 188. 18. Gymnasium ex Polyd. 189. 21.
Cantabrigia frequentata. 191. 192. 14.
Cantabrigia interdictis nõ sublata. 193. 1.

Canta-

Cantabrigia Oxonienſibus mater & fons. 199. 23.
Cãtabrigienſes trãſlati, Oxoniũ. 200.1.&. 202.1.
Cãtabrigia fons cleri. 205. 1.&.130. 10.
Cantabrigia ad Sabrinam. 215. 16.
Cantabrigienſis acad.collegijs eſt ãtiquior. 247.21.
Cãtelupꝰ creditur hiſtoriolę Cãtabrig.author.37. 18.
Cantuaria pro Cantabrigia. 275.4.
Cantianę ſcholę. 187.6.
Cãtaber ideo nõ fuit, qꝙ eiꝰ mentio non fit. 162. 19.
Cambri Cantabrigiæ ſtuduerunt. 208.15.
Cantaber non calamitoſus. 117.22. fuit author Cantabr.acade. 114. 5.
Calamitoſus quis. 126. 1. non qui docet calamitoſus. 125. 16.
Calena nõ Oxoniũ. 276.11
Cair quid ſignificet. 68. 8.
Cairguntinum. 145.4.
Cairgrãt, Cãtabrigia. 65.10
Cairpenhuelgoit. 273.14.
Carolus mag. diues ex Hiſpania. 121.12.
Carleonenſe Gymnaſium. 195.4.
Carleonenſis ſtudij initium 192. 8.
Caſsiuellaunus Cantabr. acad.patronus. 56.13.
Caſtoria ſeu Caſtre. 149. 22.
Caſtrũ Norwicẽſe. 145.3.
Caſtrum puellarũ. 53.14.
Cautio ne imponatur. 329. 24.
Ceolwulfus. 320.
Clericus mulierem interfecit. 27. 1.
Collegium Tho. Wulſei Cardinalis. 201. 22.
Collegium Goneuilli & Caij. 37. 22.
Collegia Italiæ. 249. 22.
Contiones examinatæ olim 270.24.
Contentiones deponendæ. 10.4.
Contentio inter Medicos & Iuriſconſultos Oxo-

nienſes de locorum dignitate, & facultatũ præſtantia. 29. 7.
Controuerſia inter Epiſcopum Elienſem & Academiam Cantabrigienſem. 81. 17.
Cõtrouerſia inter Epiſcopũ Cantuar. & vniuerſitatem Oxon. 91. 3.
Cõtrouerſiæ definitio de antiquit. Cãtabrig. 345. 19.
Controuerſiæ cauſſa inter Cantab. & Oxon. 4. 1.
Conſtantinus mag. Britannus. 115. 12.
Concordia. 352. 14.
Coſmus Medices. 130. 18.
Craifordus. 160. 15. & 210. 19.
Cricladi ſchola ex Græcis nõ fuit. 40. 8. & 257. 7.
Cricladi ſtudiũ ex Cantabrigienſibus. 200. 16.
Criclade dicebatur Erudinum. 201. 2.
Cricladenſia ſtudia deleta. 285. 13.
Cricladenſi ſtudio Cantabrigienſis acad. antiquior. 334. 3.
Crœſus. 121. 12.
Croilãdẽſes Monachi. 132.
Crudelitas. 11. 11.

D

DAni ſubuerterunt omnia. 217. 5.
Definitionis controuerſiæ rationes. 346. 18.
Deucalion. 144. 15.
Diuiſienſis. 29. 21.
Dioniſius non erat calamitoſus. 119. 3.
Diſputatio inter Cantabrigienſes & Oxonienſes. 28. 5.
Diſcipuli Theodori & Adriani docti. 187. 23.
Dolus poſteriorum ſcriptorum. 315. 7.
Dolphinus. 323. 10.
Docti quid poſſunt gymnaſijs cõſtituẽdis. 145. 10.
Dubritij gymnaſiũ. 145. 15
Draiton, quæ olim dicebatur Cairdraiton. 66.
Druys. 22. 17.
Druydes. 22. 24.

E

EDgari monasteria. 143. 23.
Edgarus doctus. 124. 1.
Edwardus senior reparauit Acade. Cantabr. 130. 3. eiusdem priuilegia. ibidem. 5.
Edwardus sanctus an legitime natus, 294. 21.
Elisabeth Regina quando Cantabrigiæ. 4. 5. eadē quando Oxoniæ. 5. 13.
Elisabeth reginæ beneficiū in Cantabrigenses. 124. 24.
Elisæus Pryce. 28. 22.
Elfleda Merciam gubernauit. 324. 5.
Eleutherius quando sedit. 111. 22.
Eluanus. 98. 1.
Epistola Acad. Cantabr. ad Philippum Hispaniæ regem. 32. 21.
Epistola Io. Pecham Archiepiscopi ad Lincolniensem episcopū pro Oxonienſibus. 342. 4.
Epistola eiusdē ad vniuers. Oxon. pro obedientia & concordia. 343.
Errores periculosi qui. 216. 12.
Errata codicum. 278. 9.
Erigena cur condemnatus. 229. 20.
Ethelingiæ Monasteriū cuiusmodi. 220. 14.
Ethelwolfus Oxon. scholas posuisse dicitur. 305. 14.
Ethelhelmus. 311.

F

FAbius Questor. 277. 16
Fallatiæ aliena authoritate contectæ. 169. 3.
Fides in hostes. 43. 17.
Fides bona. 140. 5.
Fons Aristotelis. 264. 8.
Fossa. S. Edmundi. 73. 15.
Flos medicinæ, liber Salernitanorum. 177. 13.

G

GAlli ex Troianis. 117. 9.
Gailardns de Mota. 269. 23.

Germanus Alticiodorensis. 215. 9.
Georgius Lilius. 61. 5.
Georgius Coriatus. 61.12.
Genealogicon. 58. 16.
Gigantes qui. 24. 12.
Gigantum diuersæ magnitudines. 25.10.
Gleſtingienſes paludes. 318. 25.
Gocelinus. 97. 9.
Gomerus. 25.18.
Gorbonianus non condidit Academiã Cantab. 62.7. &. 129. 1.
Granta & Grantam. 62. 9. &.12.
Grantam Lincolnienſem extruxit Gorbonianus. 63. 4
Granteceſtria & Cantabrigia idem. 65.12.&.188. 22. &.133.24.
Graius. 51. 23.
Gualterus Burleus Mertonen. collegij Alũn⁹. 262.
Guy Fluuius. 146.17.
Gul. Cacus. 28. 8.
Cul. Buckenham. 37. 21.
Gul. de Wicham. 206.20.
Guthelini regno Academia fuit Cãtabrigiæ. 100.16.
Guthelinus doct⁹. 123.24.
Gul. Sherwode. 344.23.
Gul. Dunelmẽſis. 344. 23.
Gymnaſia à doctis excitata. 145. 10.
Gymnaſiũ Elruti. 147.12.
Gymnaſium Tathei. 148.3
Gymnaſiũ Cadomẽſe. 151.
Gymnaſia Britãnica. 208.5
Gymnaſium Oxonien. non conſtitutum primo aut ſecũdo anno regni Aluredi. 317.

H.

HArdingus. 197.7.
Henricus Belloclericus 251. 7. erat iuſtus. 265. 15. Cantabrig. educatus. 124. 19.
Herbertus. 265. 7.
Hiberni Cantabrigiæ ſtuduerunt. 208.16.
Hibernorum coniugium. 243.6.
& baptiſmus. 242. 25.
Hiſtoriolæ Cantabrigienſis authoritas. 35. 24. antiquitas. 37. 12. eius author, Hugo Cantelupus Oxoni-

Oxonienſis Archidiaco-
nus Glouerniæ. 37.18.
Hiſtorico, opus eſt teſte.
39.23.
Hiſtoriola Cantabrig. Acade-
dem. 54.22.
Hiſtoricus & Chronicus.
169.1.
Hiſtorias ſcribendi negotiũ
quibus cõmiſſũ. 238.20.
Hiſtoriarũ officinę. 239.2.
Hiſtorici regij. 239.18.
Hiſtoriarum conteruatio.
240.3.
Hiſtoriæ quantum profue-
runt. 241.3.
Hiſtoricorum diſſentio.
245.8.
Hiſtoriola Oxon. non anti-
qua. 247.14.
Hiſtoriolæ Oxon. exami-
natio. 255.1.
Honeſtum nomen. 8.18.
Honorij primi indultum.
75.7.
Honorius Cãtabrigiæ ſtu-
duit. 76.8.
Hoſpitia Cantabrigienſia.
248.25.
Hortatio ad cõcordiã. 6.4.
Hubaldus poeta. 51.9.

I.

IAcobus Faber. 205.22.
Iacobus Middendorpius.
64.1.
Io. Scippe epiſcopus Heref.
202.16.
Io. Elienſis. 141.6.
Io. Scotꝰ. 138.20. Papienſi
ſcholę preficitur. 209.16
Cantabrigiẽſis. 211.5. nõ
docuit Oxonię. 212.10.
&. 221.23. Vnde erat.
227.13. vbi docuit. 229.
9. cur cõdẽnatꝰ. 229.20.
non fuit Scotus natione.
231.2. cuias erat. 231.14.
cur dictus Scotꝰ. 233.3.
Io. Herriſonus. 60.3.
Io. Redman. 28.20.
Io. Tayler. 28.8.
Io. Werkworth. 58.1.
Io. Rokesby. 28.22.
Incõſtãtia Oxonien. 237.8
Italia magnifica. 250.3.
Italiæ collegia. 249.21.

L.

LAthelade, & Lochelade,

idem locus. 44. 20.
Leges Danorum. 288. 9.
Leges. S. Edwardi. 288. 15.
Lelandus quis homo fuit. 36. 7.
Lelandi liber de Academiis Britãnicis. 40. 13. & notæ marginales. 40. 1. & 39. 15.
Lelandi iuditium & lectio de schola Sigeberti. 170. 25.
Legionense studium Oxonienſi antiquius. 215. 3.
Lelandi iuditium, ex aliis. 304. 15.
Libra. 287. 24.
Librorum antiquorum copia. 71. 7.
Literæ vtiles, delectabiles, & salutares. 119. 18.
Literæ in Britannia Gigantum temporibus. 21. 4.
Literæ vtriusque academiæ. 27. 23.
Literarũ fautores. 120. 10. cultores nobiles. 122. 2.
Londinum. 107. repara. tum. 281. 15.
Lucius à doctoribus Cantabrigienſibus baptiſatus. 69. 23.
Lucij legati, Cantabrigienſes. 99. 22.
Lucius quando fidem ſuſcepit, non bene conuenit inter ſcriptores. 109. 8.
Lucius quando ſcripſit ad Eleutherium. 110. 15.
Luguballia, Carleolum. 53. 18.
Lupᵘˢ Trecaſſenẽſis. 215. 8.
Lydgatus Chauceri diſcipulus. 55. 17.

M.

MArtinus & Marinus idem. 301. 14.
Mattheus Cantuariẽſis Archiepiſcopus 202. 14.
Mancuſſa. 286. 23. vnde dicta. 288. 7.
Monarcha primus Angliæ. 325. 5.
Monarchæ triplex ratio. 326. 6.
Meritonenſe cœnobium. 240. 19.
Meduumus. 97. 25.

Mercatorum facta. 74.7.
Memnon contra maledicos. 128.18.
Mirimuthensis. 71.15.
Midas. 121.11.
Miserbdil. 146.15.
Mochros. 146.20.
Mons Ambrij. 73.13.
Monasteria celebriora. 218.5.
Monasteria minora. 219.14.
Monasteria grandia. 219.20.
Monasterium Ethelingiæ quale. 220.13.
Monachi Bannochorenses. 219.3.
Monachi docti pauci Aluredi ætate. 221.7.
Musica exculta. 236.24.

N.

NIcasius Cadnæus. 60.10.
Nicolaus Treuettus. 53.15.
Nicolaus Ridleius. 28.21.
Nigri codicis antiquitas. 38.1.
Nigellꝰ cõtra fortunã. 127.
Noa gigas. 24.19. (7.
Non statim honestũ quod est vtile. 43.16.
Nomina propria Anglorũ ante S. Edwardũ. 338.23.
Nomine non conueniebant Archiepiscopi ante Hubertum. 339.13.
Norfolciæ rex. 149.10.
Norfolciæ leges, Danorum leges. 288.10.
Norwicus. 145.5.
Nouiburgensis. 21.auctior 295.24.

O

OFfa Merciorum Rex. 305.17. reparauit scholã Cantabr. 129.22.
Offensionis causſæ Gul. Normanno. 335.15.
Oratoris verba. 16.10.
Oxonienſis historiola. 17.23.
Oxonienſis contra antiquarium. 19.7.
Oxonia deserta. 27.10.
Oxonienſis Academiæ laus. 30.1.

Oxonienſis affectus in Antiquarium. 31. 6.
Oxonienſis contra oratorē Cantabrigienſem. 34. 12.
Oxonienſis ſententiæ cōfutatio. 19. 21.
Oxonij vrbis nomen. 272. 17. & 273. 4.
Oxonienſis iurgia. 158. 6.
Oxonienſis ſchola grammaticalis. 175. 4. & 176. ex Fabiano & alijs.
Oxonienſis ſtudij ratio. 181. 20.
Oxonienſium numerus in principio. 185. 3. & 26. 12. & 190. 11.
Oxonienſium collegiorum fundatores Cantabrigienſes. 203. 10.
Oxonium ſchola ſecunda. 213. 13.
Oxonienſiū profeſſores nō ex monaſterijs. 216. 1.
Oxonienſis hiſtoriola antiqua nō eſt. 247. 14. eius author infans. 266. 17.
Oxoniēſis academiæ mētio in Clementinis. 267. 15.
Oxoniēſis ſcholę inſtitutio, non reparatio per Aluredum. 282. 10.
Oxonienſis ſcholæ author non fuit Aluredꝰ. 289. 4.
Oxonienſis ſchola ab Aluredo non conſtructa, nec hortante Neoto. 298.
Oxonienſis Academiæ inſtitutio vnde Alphredo aſcribitur. 310. 22.
Oxoniēſis cōmētū 330. 15.
Oxonienſium infortunia. 268. & 269.

P.

PArtholomus. 163. 6.
Partholomus ſuorū monarcha. 164. 12.
Pariſienſis academiæ diſſolutio. 191. 1.
Pariſienſiū ſcholariū cōtentio de primatu. 137. 12.
Patauinæ ſcholæ. 250. 14.
Paterna. 270. 15.
Patroni tres Cantabrigienſis academiæ. 173.
Partꝰ numeroſus. 156. 15.
Penda. 265. 2.
Petrus Ramus. 206. 9.

Pisanæ scholæ restitutio. 130.22.
Piscium vsus olim multus. 147. 4.
Polydorus veteres libros combussit. 70. 25.
Præceptores Aluredi. 223. 23.
Principum opera. 72.23.
Priuilegia Oxonienſia pauca. 340.16.
Priuilegia ſublata & reſtituta. 341.3.
Pueri noſtris ratio. 182.6.
Pudendum facinus. 336.18
Pullinus reſtituit ſcholas Oxonienſes. 336. 6.
Pyrrhus. 43 .23.

Q.

QVintiliani præceptum Rhetoricum. 159.
Queneburghũ. 303. 9. (18.

R.

RAdulphus Remington. 83.17.
Rara, ſed non incredibilia. 153. 18.
Ranulphus de Conſtitutione Oxonienſis Academiæ. 307.23.
Ranulphi errorem ſecuti multi. 313.15.
Redſhankes. 233.15.
Reges indulgentes Cantabrigiæ. 93. 17.
Relligio Chriſti in Britannia ab Apoſtolorum tempore. 95. 10.
Rerum principia ſecũdum Pythagoram. 177.6.
Reuerentia. 106. 8.
Richardus primus Turcas debellauit & Gallos. 115. 17.
Richard⁹ Diuiſiẽſis. 55.20.
Richardus Pighteſley. 83. 18.
Richardus Crocus. 204.
Ridoce, vetus Oxoniæ nomen. 277.12.
Robertus de Paterna. 270. 14.
Rodolph⁹ Baynus. 205.6.
Roſſus, ſeu Rouſſus, cuius iuditij. 44.6.&. 258.3.
Roſſus, Oxoniẽſis. 44.10.
Rydleius. 160. 11. &. 210. 4.

S.

SAlsa verba dulci aqua abluenda. 162. 3.
Samothea. 22. 7.
Samothes. 22. 2.
Sancti Cantabrigienses. 141. 20.
Saxonia vetus. 232. 5.
Scriptores cur sua suppressserunt nomina. 47. 10.
Scriptorum occulta nomina quomodo explicanda. 47. 19.
Scholæ Hibernicæ. 49. 10.
Scholę numerus non tollit academię appellationem. 173. 24.
Scholæ Pisanæ restitutæ. 130. 22.
Scholæ Patauinæ. 250. 14.
Schola in singulari Academia. 177.
Schola Cantuariorũ more. 180. 18.
Scholę Cantianæ. 187. 6.
Schola Romana. 289.
Schola Romana cur instituta. 196. 19.
Scholæ alienę a Britannis doctæ. 204. 205. 206. 207.
Schola Legionẽsis antiquior Oxonienſi. 215. 3.
Schola quam statuit Aluredus. 303. 17.
Scholarum Oxonienſiũ infortunia. 336. 6. &. 268. &. 269.
Scholasticorum Cantabrigiensium habitatio ante Collegia. 248. 11.
Scholastici, causſa deserti studij. 197. 13. sibi inutiles. 197. 19.
Scotus Ioannes. 138. 20.
Scoti Cantabrigiæ studuerunt. 208. 15.
Scoti Hiberniã prius incoluerunt. 233. 14. gloriosi. 234.
Scotica studia. 209. 4.
Sergii prima bulla. 78. 25.
Specus Platonicum. 158. 1.
Sigebertus Cantabr. Academiæ author non est. 41. 1. &. 129. 2 &. 167. &. 150. nominatim. 168. 5.
Sibyllæ de Christo vaticinium,

nium, literis concluſum capitalibꝰ verſuũ. 49.16.
Simon Iſlep. 357.23.
Solidus. 288. 4.&.18.
Stephani Regis fortuna. 211. 17.
Stamfordiæ nõ docendum. 270 4. &. 157.21.
Stratford Robertus. 269. 11.
Stubbęus. 138. 4. quando floruit. 187. 22.
Sulgenus. 48.14.

T.

TAxatores Cantabrig. 249. 3.
Temporũ diſcrimen. 108. 14.
Terentius libertate donatus. 120. 18.
Teſtimonia detruncata. 222.20. ĩuoluta. 225.4.
Theodorus Græcus. 133.7.
Theodori & Adriani diſcipuli, docti græcè & Latinè. 187. 24.
Thetfordiæ rex & ſtudium. 148.23.
Thomas Morus. 205.15.
Thomas Graius. 51. 23.
Throgmertonus in exiliũ relegatus. 29.5.&28. 9.
Timotheꝰ apoſtolꝰ. 110.8.
Tubal Hiſpanorum author 25.18.
Thuiſco author gentis Germanicæ. 25.18.

V.

VEneti ex Troianis. 115. 2.
Verulamium. 66. 3.
Vetuſtas magnæ authoritatis. 296.15.
Vindobonna. 107.24.
Vniuerſitas. 54. 9.
Vrbes antiquæ Britanniæ. 64.65.66.67.54. 6. & 53.14.&. 54.5.
Vtile, ſed nõ honeſtum. 34. 16.

W.

WAldeus Rex Norff. 143.2.
Wanſdich. 73. 11.
Weſtphali. 232.19.
Windeleſor, ſeu Windeſore 307. 8.

INDICIS FINIS.

*Inciderunt inter excudendum Errata quædam.*

| *Pag.* | *Vers.* | *Errata.* | *Sic castigãda.* |
|---|---|---|---|
| 5 | 12 | Anguſtiſsimæ | auguſtiſsimæ |
| 6 | 17 | irritatę | iritatę |
| 11 | 18 | irritabili, | iritabili. |
| 25 | 21 | Oxnienſis | Oxonienſis |
| 8 | 25 | expectarus | experturus. |
| 39 | 14, | conſequentur, | conſequenter. |
| 39 | 12 | tacemus, | taceamus. |
| 43 | 10 | biſtiarum, | beſtiarum |
| 43 | 6 | ab alijs, | ab allijs |
| 43 | 3 | ſciptorum, | ſcriptorum |
| 47 | 17 | dignitate | dignitati. |
| 83 | 7 | contigentibus | contingentibus. |
| 113 | 13 | reconſilias, | reconſilies. |
| 130 | 14 | iuſſo, | iuſto. |
| 172 | 24 | radientes, | radiantes. |
| 259 | 18 | nonas | nouas. |
| 203 | 1 | 1533. | 1553. |
| 160 | 6 | Quę res, | Quam rem |
| 213 | 8 | Anglam, | Angliam. |
| 213 | 25 | bonarnm, | bonarum. |
| 218 | 16 | 116. | 616. |
| 275 | 18 | acuratius | accuratius. |
| 270 | 17 | quorundam | quorumdam |
| 276 | 22 | infidiat, | inſideat. |

| Pag. | Vers. | Errata. | Sic castiganda. |
|---|---|---|---|
| 286 | 22 | macussa, | mancussa, |
| 287 | 11 | librum, | include parenthesi. |
| 287 | 12 | libro, | include parenthesi. |
| 287 | 9 | monecessa, | monecssa. |
| 28 | 6 | 1532. | 1533. |
| 274 | 24 | sexta | septima. |
| 317 | 6 | cõflitũ(in marg.) | constitutum. |
| 319 | 1 | aliquando, | aliquandiu. |
| 320 | 5.& 14. | geneologia | genealogia. |
| 307 | 3 | Lincolnienſi, | Lincolniẽſi archidiaconatu. |
| 319 | 5 | omnius | omnibus. |
| 285 | 12 | Cricladentia, (in margi.) | Cricladenſia. |
| 305 | 20 | Cxij. | Clxij. |
| 340 | 17 | multiplicate, | multiplicitate. |
| 341 | 15 | duodecimo | duodecimum. |
| 233 | 20 | delatos, | delatum |
| 221 | 21 | iſta, | iſta tua, vt |
| 339 | 13 | ex eis epiſcopis, | ex Archiepiſcopis. |
| 220 | 9 | cuiſmodi | cuiuſmodi. |
| 188 | 3 | edoctum, | edoctum. |
| 290 | 21 | quod quid | quàm quid. |
| 155 | 18 & 19 | humanas | humanos. |
| 144 | 6 | policitus, | pollicitus |
| 142 | 4 | ædes angulares, | ędes penè ãgulares |
| 136 | 10 | luxfiſti | luxiſti |
| 134 | 20 | cocleæ | cochleæ. |
| 123 | 24 | Guttelinum, | Guthelinũ. (Sic in marg.quoq;.) |

| Pag. | Verſ. | Errata. | Sic caſtigãda. |
|---|---|---|---|
| 118 | 6 | ſit | ſit |
| 112 | 21 | ſedit, | ſediſſe. |
| 104 | 2 | ſufficere | ſufficere |
| 239 | 12 | deatur | deleatur. |
| 344 | 20 | priuilegorum | priuilegiorum |
| 209 | 26 | atq; | auſus |
| 212 | 2 | id eſt,& olim) | id eſt)& olim, & nõ |
| 248 | 5 | nullam, | nullum. |
| 250 | 5 | ſuſpiſionem, | ſuſpitionem |
| 139 | 24 | ſupplimento | ſupplemento. |
| 337 | 11 | tarſum | terſum |
| 323 | 20 | Etheldredns | Etheredus |
| | 22 | Ethelredo, | Etheredo |
| | 23 | Ethelredi (ſis | Etheredi. |
| 115 | 21 | Fulcher⁹ Carnotẽ- | Richard⁹ Canonic⁹ |
| 360 | 6 | oĩm veſtiũ, luxus | oĩm,veſtium luxus |
| 336 | 13 | faceræ. | facere. |

*In Catalogo.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| 4 | 5 | no | anno. |
| 5 | 14 | Philipp⁹.Bergomẽſis. | Philipp⁹ Bergomẽſis. |

*In Indice.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| 2 | 12 | 32.5. | 325.5. |

11

# ASSERTIO antiquitatis Oxonienſis Academiæ, incerto Authore eiuſdem Gymnaſij:

*Ad illuſtriſſ. Reginam*

ANNO. 1566.

*Cum fragmento Oxonienſis hiſtoriolæ.*

Additis caſtigationibus authoris marginalibus ad aſteriſcum poſitis. Inter quas libri titulus eſt, qui ante caſtigationem (quam æditionem ſecundam dicimus) nullus erat.
Omnia prout ab ipſis authoris exemplaribus accepimus, bona fide commiſſa formulis.

EXCVSVM LONDINI
Anno Domini. 1568.
Menſe Auguſto.
*Per Henricum Bynneman.*

BIBLIOTHECA BODLEIANA